

Dionysii Hal...

Opera omn...





IOACHIMI PERIONII BENEDICTINI CORMOERIACENI de Sanctorum virorum, qui Patriarchæ ab Ecclesia appellantur, rebus gestis ac vitis, Liber.



COLONIAE
Apud hæredes Arnoldi Birckmanni.
Anno 1555.

D·ROBERTO LENONCVRIO

CARDINALI, MEDIOMATRICUM Pōtifici, cœnobijq; B. Pauli apud Cormœriacum præfecto, Ioachimus Perionius Benedictinus Cormœriacenus.

S P D.



I plerique religionis nostræ homines, Roberte Cardinalis amplißime, tantum studij & operæ, quantum necesse est, aut eorum officij ratio postulat, in diuinarum literarum lectione cum animi oblectatione & uoluptate ponerent: non esset, quòd ab historicis, alijsq; à religione nostra abhorrentibus scriptoribus, prudentiæ, fortitudinis, iustitiæ, temperantiæ, cæterarumq; uirtutum exempla petenda arbitrentur. Nam cùm uitæ ex uirtute degendæ instituta ac ratio in duobus posita sit, in præceptis, quibus parendum est, & exemplis eorum qui illis paruerunt, quibus quasi ducibus faciliùs ad præcepta dirigimur: nec bene beateq; uiuendi præcepta melius ab illis dan-

tur, nec uirtutes hominum præcepta facientiũ tam illustres produntur, nec tam admirabiles. De præ*ceptis quidem si agamus, nullam prorsus controuersiam esse aut fore uideo: nisi fortè ea à natura, quasi fonte orta & ducta, in illorum scriptis tradi ac elucere dicant. Itaq; studij factiq; sui patrocinium in exemplorum, quæ ad omnes uirtutes transferri accõmodariq; poßint, multitudine constitutum eße clamabunt: Lucretiamq; ac Scipionem pudicitiæ: Codrum, & Decios, charitatis patriæ: fortitudinis bellicæ, Scipiones, Maximos, Paulos, aliosq; innumerabiles: cæterarumq; uirtutum omnium permultos homines in omnibus nationibus clarißima exempla proferent. Sed si illis omnibus ij soli, qui in uno imperio, id est, in Iudæa, illustria posteris uirtutum omnium exempla reliquerunt, opponantur: nec genere, nec magnitudine, nec multitudine, nec studio, nec denique re ulla cum eis comparandi uidebuntur. Nam ut primùm de bellica fortitudine, quoniam in hac uirtute arcem suam constituere uidentur, dicam: qui tandẽ Scipiones, qui Pauli, qui Maximi, tam magnum hostium numerum armis, ui, militariq; arte uicerunt, quàm multos Aegyptios Moses uirga cùm maris aquas in duas partes ad Hebræorum transitũ diuisas iterũ collegisset, submer*

sit? aut tam facilè acerrimos hostes maximis copijs superarunt, quàm idem Amalecitanos uicit sola manuum in cœlũ porrectione? aut tot, tamq́; immanes & barbaros populos subegerunt unquam, quot ille ipse quadraginta annis, quibus Hebræis *præfuit? Quòd si de obsidione expugnationeq́; urbiũ dicendum est, quis illorum tam facilè oppidum munitißimum cepit, quàm* Iosue Hierichonem? *aut urbẽ aliquam tanta militaris disciplinæ arte expugnauit, quanta idem* Haiam *cepit? At ex ter geminis eos opponent, qui tres aduersarios singulari certamine uicerunt. An clariorẽ illi de alijs tribus triumphum egerunt, quàm* David *de Goliath, qui non armis, nõ gladio, nõ robore corporis, sed funda, inusitata magnitudine hominẽ uicit, gladioq́; eum suo interemit? Mitto Gedeonis uictoriã, Samsonis fortitudinẽ prætermitto, Ezechiæ uim precantis, nõ dico: Iudæ Machabæi de Antiochi Asiæ regis potentißimi exercitu triumphos prætereo. Nec uiri tantum bellica uirtute apud Iudæos excelluerunt, sed etiam fœminæ. Iactent licet illi Cœliam suam. sed quid ad Iudith, quæ facto suo audaciæ pleno, suos metu liberauit? An Scæuolam suum cum fœmina audebunt comparare? At ille Porsenam non interfecit, hæc Oloferni caput præcidit. Lucretiam suam fortaße nostris an-*

teponent, quæ cum ui cõstuprata esset, mortem sibi ipsa consciuit. At quanto fortior & castior Susanna fuit, quæ eodem proposito dedecore mori maluit, quàm scelere admisso hominum uitare sermonem? An Scipionem in eodem genere uirtutis opponent? At Ioseph qui pauper erat inter Aegyptios, nec unquam uxorẽ duxerat, & à domina locuplete ad stuprum sæpe impulsus, nunquam adduci potuit, maluitq; in carcerem cõijci, quàm Dei uoluntatẽ offendere, magis laudandus est. Quid uerò dicam de Mosis in populum suum charitate, qui deleri de libro uitæ maluit, quàm illum à Deo interfici, cum interim se ad multo maiores honores post eius interitũ efferendum esse sciret? aut de Dauide, qui cũ populum suum ab angelo deleri cerneret, se peccaße dixit, non populum? Si eis Codrum illi, aut Decios anteponant, quis ferat? Hæc atq; alia eiusdem generis ferè innumerabilia cum ipse cõsyderarem, illosq; in magno errore uersari putarem: horum clarißimorum sanctißimorumq; hominum dicta atq; facta, quæ in Veteris Testamenti libris sparsa sunt, scribendis eorum uitis in libellum unum colligenda censui, quò faciliùs eos omnes imitari possent: siue ij qui in Reipublicæ luce uersantur, siue ij qui alijs præsunt, siue ij qui priuatum uitæ genus sequuntur.

Nam

Nam & in Mose, Iosue, Dauide, Iosaphat, Ezechia, ij qui alijs imperant: & in Abraham, Isaac, Iacob, Tobia, ij qui priuati rem familiarem curant: & in Ioseph, Anania, Azaria, Misaële, ij qui Rempub. gerunt, quos se præstare debeant, quasi in speculo intueri ac perspicere possunt. Eũ autem in tuo potißimum nomine edidi, non solum quòd eo mihi uisus es dignißimus propter eam personam, quam in Christi Ecclesia grauißimam geris, sed etiam quòd Cormœriaceno cœnobio, cuius sum, præes, ut tibi hac etiam ex parte, meam in te fidem, perpetuamq; obseruantiam ostenderem. Qui si serius, quàm aut sperabas, aut officij mei ratio postulare uidetur, diuulgatur, à te peto, ut non obliuione officij, sed librariorum culpa id euenisse existimes. Vale, amplißime Cardinalis. Lutetiæ Parisiorum. VI. Calend. Martias, MDLIIII. ratione Gallica.

Catalogus Patriarcharum, quorum Vitæ hoc in libro continentur.

Manaſ-

ADAE PRIMI HOMINVM PARENTIS VITA, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno auctore.



Eus qui ab omni æternitate beatus, ac seipso contentus fuerat, cùm bonitatem suam immensam ad alia peruenire ac cũ alijs communicare iam inde instituisset: tandem aliquando cœlum atq; terram, eáque omnia quæ illa complexu suo continent, condidit. Atq; vt rerum cæterarum quas propagari videmus, principia & quasi primordia effecit, ita virum vnũ ex quo cæteri nascerentur, cæteris iam rebus procreatis omnibus, eo die, quem sextum ex septem numeramus, molitus est. Adam eũ sermone Hebraico, id est hominem appellauit, quòd ex eo reliqui habituri esset ori ginem. Eum autem alia ratione finxit, atque res cæteras. Nam & ex puluere corpus eius finxit, quod ei est cum terrenis rebus omnibus commune, & (id quod cum cœlestibus mentibus, quos Angelos vocamus, commune habet) mente eum ac ratione

tione ornauit. Itaq; cùm eum ex animo & corpore constare vellet:corpore ad bestiarum naturam,animo ad diuinam voluit accedere, ita vt ex ea parte,illum ad imaginẽ simulacrumq́ue suum finxerit. Naturæ ei adiumentum, scientiæq́; vim tribuit tantam,quanta in eo inesse debuit,qui bestijs omnibus,cùm eas Deus ad illum adduxisset,ea nomina imposuerit ex sua cuiq; natura,quæ in eis valere cernimus. Sed cùm solùm eum esse nollet, paremq́; ei adiungendum censeret,cùm ad cætera obeunda munia,tum ad solatium procreationemq́; liberorum,somno oppresso costam detraxit,adiecta carne pro illa,ex eaq́ue mulierem finxit: quam expergefactus, vt ita dicam,viraginem appellauit, quòd ab ipso, qui vir esset,originem duxisset. Eodẽ die, quo Adam ipse effectus est, ficta fuit mulier, præsertim cùm Deus postridie quieuerit atq; opus agere destiterit. Cùm ita vterq́; procreatus fictusq́; esset,eis Deus benedixit,terramq́;,ac pisces,& aues,bestiasq́ue omnes eorum imperio subiecit:ita dũtaxat,vt ab illis se abstinerent. Itaq; herbis eos tantum & lignis, quæ in se generis sui semen cõtinerent,voluit viuere. Nec vero

his tot tantisq; suis in eos beneficijs contentus fuit Deus: sed eos etiam in loco & horto amœnitatis plenissimo, quē ab initio quasi conseuerat, collocauit. In eo cum omnia arborum lignorumq; genera, quæ & pulchritudine sua oculos, & suauitate gustatum mouerent, & præterea in eo medio arborem vitalem, arboremq; scientiæ boni ac mali protulisset, custodesque illos & cultores tam amœni loci constituisset: eis præcepit, vt ex omni arbore quæ ad victum pertineret, decerperent, tantùm ne lignum scientiæ boni ac mali attingerent: quòd futurum esset, vt quocũq; die ex eo vescerentur, morerētur ipsi. Erant autem planè nudi, nec pudore vllo afficiebãtur. Non fuit illa perpetua, aut diuturna eorum felicitas, siue beata vita. Malus enim genius, quem Diabolum ex eo facto appellamus, inuidiæ facibus inflammatus, serpentem ad eos fallēdos adhibuit. Ea cùm ad Euam, (id enim mulieri nomen erat) accessisset, rogare cœpit, cur Deus vetuisset, ne ipsa atque eius vir omnem arborem attingerent. Cùm illa respondisset, sibi atq; viro licitum esse ijs arboribus omnibus quæ in paradiso essēt, victitare, prēter lig-

num

num quod in eo medio esset, quod pœna mortis & capitis Deus excepisset: tū addidit serpens, nullum in eo esse mortis periculum, quinetiam probè Deum scire, quacunq; hora fructum eius ederent, fore, vt eorum oculi aperirentur, Dijsq; essent similes. Mulier quæ pomū & gratū suaueq; gustatui cerneret, & aspectui iucundū esse intelligeret, ex arbore decerpsit, editq; ipsa, & viro edendū quasi propinauit. Quod cùm fecisset, vtriusq; apertis oculis, cùm nudos se esse cognouissent, contextis fici folijs, subligacula ad tegendam naturam accommodauerunt. Cumq; hora pomeridiana in horto ambulantis DEI vocem exaudissent, cōspectum eius fugientes se occultauerunt. Cumq; Adam nomine appellans, vbi esset rogaret, ille vocem quidem eius se exaudisse respondit, sed timore ac pudore perterritum, quòd nudus esset, se abdidisse. Cūq; rursus rogaret, quisnā ipsi indicasset suam nuditatē, nisi quòd fructū quē vetuisset, edisset: mulieris impulsu se edisse responderat. Cùm de muliere quęrere cœpit, cur hoc fecisset: mulier cùm serpentis dolo & fraude inductam se edisse dixisset, supplicij causa in serpentem primū hanc

hanc tulit pronunciauitq; sententiam, Miserrimũ eũ animãtium omniũ, qui hoc fecisset, fore dixit, pectore ingressurũ, terrãque ei pro pabulo atq; pastu per omne vitæ tẽpus futurã: se inimicitiarũ & odiorum causas inter illum atq; mulierẽ, & vtriusq; semẽ, saturũ eiusmodi, vt & illa caput eius cõminueret, & ipse illius calcaneũ insidijs appeteret. Deinde mulieri dixit, se molestias ærũnasq;, & cõceptus aucturũ esse, foreq; vt cũ dolore & difficultate pareret, & viro subesset, qui eã dominatu suo coërceret. Postremo Adam hac sententia cõdemnauit. Quia, inquit, vxori tuę paruisti, fructumq; edisti, à quo vt abstineres, præceperam: terrã opere tuo miseriã malumq; consequetur. Labore confectus, ea quæ ex se proferet, toto vitæ tuæ tẽpore edes: spinas & dumos tibi edet, herbisq; terræ viues: Sudore corporis tui, pane vescere, dum in terrã ex qua fictus es recidas, quod puluis es, & in puluerẽ occides. His Deus sententijs cùm vtrũq; merito cõdemnasset: tunicis pelliceis amictos irrisit primùm, quòd ita se Deo fore similes, boniq; & mali sciẽtiam adepturos serpenti confirmanti credidissent, si fructũ vitalis arboris edissent: deinde

deinde è loco illo amœnissimo expulit, vt terram ex qua facti essent, colerent. Ac ne in eum redirent viæ eò ferentis custodem cum flammeo gladio ac versatili angelum collocauit. Adam posteaquam expulsus est, Eua liberos duos vicissim primùm suscepit, Cain & Abel, de quorum posteriore mox dicemus. Deinde annos nato cẽtum & triginta, alium ei Eua peperit, quẽ Seth appellauit, aliosq́; multos tã mares quàm fœminas. Cùm verò nongentos & triginta annos conpleuisset, migrauit è vita. At que hæc quidem de Adam generis hominum parente eiusq́; vita, ex eo libro, qui est de mũdi origine, Genesis autẽ græcè inscriptus est, déprompsim⁹. Alia autẽ pręterea multa de genere peccati ac sceleris, quod admissum ab eo &ab Eua esse docui, necessariò dicenda sunt, ne leue nonnulli fuisse existiment, quòd paucis ac strictim in eo quem dixi libro, cõmemoratum esse videatur. Paulus quidẽ in Epistola ad Romanos, illud ipsum tam graue, indignum, & atrox fuisse commemorat, vt nõ solum peccatorum omniũ quæ in mundo consecuta sunt, verũ etiam mortis, quam omnes perpetimur, causam &quasi semẽ fuisse cõ

firmet.

firmet.Ex quibus eius grauitas &atrocitas tribus modis intelligi poteſt: vno, quod latiſsimè patet:& mala quò latius patet,eò maiora habenda ſunt. Latiſsimè autẽ pate re docet,cùm ad omnes poſteros ait perue nire. Altero,quòd ſcelera,quò maiora ma la afferunt,eò grauiora habentur. Hoc au tem Adæ non ſolum mortem,quæ eſt diſceſſus animi à corpore,peperit,ſed eam etiam quæ animũ & corpus à Deo in perpe tuũ ſeparat,& æternis ſupplicijs poſt mortem addicit: quibus malis nec maiora nec grauiora excogitari vllo modo poſſunt. Tertio, quòd quibus ſceleribus maxima bona ſiue amittuntur,ſiue eripiũtur, ea ha benda ſunt & grauiſsima,& maxima. Hoc autẽ vno peccato,& immortalitatis quę in hac vita oſtendebatur,& quæ in cœlo gloria,nobis & adempta & erepta eſt: vt taceã perpetuam ſine vllo morborũ metu valetudinem,perpetuamq; animi corporis inter ipſa ſine vllo inimicitiarum metu de rebus optimis conſenſionem. Quæ quidẽ bona &cõmoda cæteris præſtãt omnibus. Hac quidẽ ex parte, Adæ peccatũ,Euę gra ui⁹ pleriq; nõ cõtẽnendi auctores aſſerũt, volũtq; in illi⁹ ſcelere nõ futurã fuiſſe vim
ſatis

ſatis magnam ad inuehenda hęc mala omnia, ſi Adam in ſententia permanſiſſet, nec vxori ſuadenti paruiſſet. At verò alia ex parte ijdem Euam peccato præſtare volũt; quòd illa in fraudem inducta fuerit: Adã, vt Paulus etiã ſcribit, non fuerit. & quòd à Deo acrioribus ſupplicijs Euę peccatum vindicatum ſit, & ipſa Adæ poteſtati atq; imperio ſubiecta ſit, ita vt ille eius dominus ab eo ſit conſtitutus. Hinc idem Paulus, docendi ei munus ademit, dedit viro: quòd ex docendi munere ac iure, principatus, ex diſcendi officio, inferior conditio intelligatur. Hoc cùm priſci illi, vt Plato, vt Ariſtoteles, alijq; permulti non intelligerent, viro à natura datum eſſe principatum tradiderunt, ita vt ille præſit, mulier pareat. Illorum enim primorum hominũ ſcelere hæ omnes diſsimiles conditiones natæ conſecutæq; ſunt, non in eis ſolùm, ſed etiam in poſteris. Ac in eis quidem id verè dici, Dei quam paulò antè protuli, declarat ſententia, quæ planè & apertè dicit, ob eam cauſam præpoſitum mulieri Adã, quòd illa ſerpentis impulſu fructum, quo à Deo interdictum ei erat, ediſſet. Ad poſteros autem eãdem pertinere beatus Pau-

lus in priore ad Thimotheū, & ad Corinthios epiſtola interpretatur. Quod etiam de cæteris conditionibus diſsimilibus iudicandū eodē modo. Supplicij enim cauſa inuectæ ſunt omnes, non à natura, vt illi putant, excogitatę. Si enim ſublato illo ſcelere atq; peccato, nec peccato locus fuiſſet, propter perpetuam illam, quam dixi, animi & corporis inter ſe de rebus bonis conſenſionē & approbationem, nec morti, dūtaxat quę omnibus deberetur: (de priuato enim proprioq; cæterorū peccato ac morte alia quæſtio eſt) profectò omnes liberi fuiſſent, vnumq; Deū principē habuiſſent: quēadmodum tandē aliquando ſublato omni principatu à Chriſto, qui quaſi alter Adā ruinas omnes generis hominum reſarciet, quæ priſci illius & ſuperioris culpa euenerunt, cùm in cœlo Deus vnus omnibus præerit. Atq; de Adæ quidem peccato hactenus. Quanquam autem ille tam graui ſcelere & ſe & poſteros omnes cōtaminauit, tamen in eo mortuus nō eſt, eumque ſi minus cita, at ſera quidem certè ſubijt pœnitentia: crediturq; iram Diuinam ſibi placaſſe ijs ſacrificijs omnib⁹, quæ Deo grata eſſe intelligebat: eiusq; exemplo &

diſciplina eius liberi illi duo, Cain & Abel, Deo quę obtulerunt, obtuliſſe.

ABEL ADAE FILII VITA.



Bel Adam & Eua primis generis hominum parentibus natus eſt. Is vitam pecuariam ſanctiſſimè tractauit, vixitq́; in eo inſtituto ita, vt & Deo charus eſſet, & bonis, qui tum erant omnibus. Nam Cain fratri, cùm eius opera factaq́; bona eſsét, & illius mala, placere non potuit: ſed ob eam cauſam, quemadmodũ Ioannes in prima Epiſtola ait, ei odio eſſe tanto cœpit, vt eũ trucidauerit. Quod quemadmodum factum ſit, libet exponere. Abel pecuariam, iam vt dixi, vitam ſequebatur: Cain autem maior natu frater, agriculturæ ſe dediderat. vterque de ſuo munera aliquando offerre voluit. Cain fruges, Abel opimos arietes ac boues q̃ primi nati erãt, obtulit. Placuitq́; Deo Abel, eiq́; grata & accepta illius munera fuerũt. cain autẽ minimè placuit, nec læto animo idẽ illius accepit munera. Quod cũ intelligeret, grauiter ferre cœpit. Hoc Deus diſsimulare nõ potuit, accerſitũq́; eũ

rogat, quamobrem tristis esset ac succenseret, (primos enim homines conuenire solebat) causaq; per se cognita, eum quasi amicè monet, si præclaras res virtutiq; cōsentaneas gereret, fore vt ferret pro dignitate: sin malas & improbas, peccatum eius statim illustre futurum, cui tamen posset obsistere: quà quidem Deus leni obiurgatione planè ei significauit, cur ipsi illud eius officium ingratum fuisset, quàm si eo animo quo debuit, à Deo præsertim profi ciscentem, accepisset, & se collegisset ipse, & in viam rediisset. Nūc longè aliter fecit. Nā quod corrigēdi eius causa Deus illi cōsiliū dedit, eo & ad maiorē obstinationē, & ad maiora flagitia abusus est. Abel enim fratrē, nec ita multo post, monet vt domo vnà egrediantur: quod cùm ille eius tam nefarij consilij, atq; adeo suscepti parricidij ignarus fecisset, ab eo impetu facto interfectus est. Nec ille diu tam immane facinus impune tulit. Deus enim nec ita multò post parricidium, & diris eum deuouit toto vitæ tempore vbicunque esset, & fugitiuum eum fore prædixit, quòd fratris quem occidisset cruor è terra clamans, vt illum vlcisceretur, rogaret. Rogatu tamen

eius,ſiue querimonia & deſperatione,ſiue
metu adductus,ſignum in eo & quaſi no-
tam inuſsit,ne quis eũ interficeret: quod
illi ne fieret pertimeſcenti,confirmauit ſo
re, vt ſi quis illum trucidauiſſet, pœna ſep
tupli condemnaretur. Hinc nonnulli, in
his Ioſephus, Cain trucidatum eſſe negãt,
alij à Lamech occiſum eſſe volunt, idq́; de
clarari aſſerunt ea, qua ad Adam & Sellam
vxores vſus eſt oratione.

NOE VITA.



Oë,quem alij Noham,nochum
autẽ Ioſephus vocat, à Lamech
eo qui Mathuſalem parentem
habuit,procreatus eſt,cum cen
tum octoginta & duos annos natus eſſet.
Ei hoc nomen pater impoſuit, quòd eum
numine diuino, vt mihi videtur,afflatus,
generi hominum conſolationem allaturũ
eſſe intelligeret. Verbum enim illud re-
quietem ſiue ceſſationem Hebræorum ſer
mone ſignificat. Neque enim iniuria hoc
tale nomen habuit.Nam cum Deus pecca-
tis,ſceleribusq́; hominum impulſus & cõ-
citatus,omne hominum genus delere in-

ſtituiſſet, is vnus inuentus eſt qui propter vitam, quam integerrimam ſanctiſsimamque ageret, Deum iratum tacitè placauerit. Sed melius eſt rem totam, quemadmodū geſta eſt, exponere. Noe ergo cùm quingẽtos annos compleuiſſet, Sem, Cham, & Iaphet genuit, nondū Lamech parente mortuo (quinq; enim & nonaginta annos vixit etiam poſtea) eisq́; virgines optimas, cùm, vt tum inſtituta ferebant, apti eſſent & idonei, vxores delegit. Iam nuptiarum ſolennia fœdera & iura inita peractaq́; erãt: quã dudum, incertum eſt, cùm Deus Noë iam tum ſexcẽtos annos nato præcepit, vt quoniam generis hominum interitus propter libidinum flagitiorumq́; quæ admitterẽt, multitudinem & atrocitatem veniſſet, ipſe cuius virtutem cognitam ſpectatamq; haberet, arcam longam trecentos cubitos, latam quinquaginta, altam triginta ex politis lignis extrueret, in eaq́; contignationes cubiculaq́; faceret, & feneſtram cuius faſtigium intra cubiculum conſiſteret, oſtiūq́; ad latus inferne: in eamq́; idem, vxor eius, liberi atq; nurus, inſtructam ijs omnibus quæ ad victum pertinerent, intrarent, ſecumq́; eò inferret marẽ & fœminã animantium

tium omnium; quæ immunda haberētur, ex ijs quæ munda eſſent, & auium mares ſeptem,& totidem fœminas. Cum hęc omnia Noe ad exemplar & quaſi ſimulachrũ, quod Deus ei oſtenderat, effeciſſet,quandiu autem in opere fuerit,incertum eſt,eo die quem præſcripſerat,id eſt quarto Idus Aprilis in arcam ſiue nauem conſcendit, ipſe vnà cum vxore,liberis eorumq́ue vxoribus. Octauo pòſt die,qui in vndecima Calend. Maias incidit, pluuia tanta copia è cœlo defluxit quadraginta diebus ac noctibus continuis,quemadmodum Deus fore prædixerat, vt naue in ſublime elata, ſine vllo periculo, altiſsimos montes quindecim cubitis ſuperaret. Submerſi ſunt omnes homines,atq; animantes,præter ſeptem eos,qui nauem Dei iuſſu conſcenderant. Sex enim illi ſolùm qui cum Noë conſcenderunt, ei aquarum inundationem omniumq́ue & hominum interitum prædicenti crediderunt: cæteri quemadmodum ait beatus Petrus, non crediderunt. Inundatio autem illa aquarum centũ & quinquaginta diebus dominata eſt nec antè illud tẽpus cœpit decreſcere,ꝗ tamẽ ita ſenſim factũ eſt,vt calend.

 demum

demum Decembribus montium cacumina extarent,& eminerent. Quadragesimo autem die pòst, fenestra aperta Noe coruũ emisit,qui cùm minime rediret, colũbam quoq; misit, vt intelligeret, num terra ex aqua emineret.Columba quæ locũ in quo insideret,nõ inueniret,reuersa est: ex quo illius reditu aquarum etiam inundatione terram conglobari &operiri.Eandem etiã bis pòst misit,semel septimo die quàm reuersa erat,tumq; etiam redijt cum ramo virente,ex quo, terram iam ex aqua extare intellexit: iterum septimo die post hunc illius reditum, sed postca minimè reuersa est. Calendis autem Martijs, ipse aperto nauis tecto, terram quodã modo exaruisse, V. Cal. Maij planè exaruisse cognouit. Hæc dum geruntur, Noe Deus imperat, vt ex arca seu naui cum suis omnibus exiret. Cùm egressus esset, aram Deo extruxit,in eaq; illi sacrificium ex cunctis animantibus & auibus,quæ munda erant, obtulit,quod Deo ita gratum fuit,vt se in posterum terrę propter maleficia hominũ imprecaturum negaret, quòd eorum animus à prima ætate ad malũ procliuis esset. Quòd si grauia essent eorum scelera, ea se

non

nõ aquarum inundatione,vt tum feciſſet:
ſed,vt Philo ait,fame, igni,& gladio vindi
caturum eſſe promiſit. Cumq; Noe eiuſq;
liberis bene precatus eſſet,id eſt, vt noſtri
dicunt benedixiſſet, creſcere eos,atq; au-
geri in terra velle ſe dixit, eoſque terrori
eſſe cũctis animantibus,quibus deinceps
in victu vterentur, pro herbis virentibus,
niſi quod à carne quæ cum ſauguine mix-
ta eſſet,eos vellet abhorrere.Atque vt hęc
maiorem auctoritatem haberent,eiuſmo-
di fœderis atq; pacti ſui ſignum arcũ, quẽ
in cœlo cùm illud nubibus obduxiſſet,
collocaret, fore prædixit, ſibiq; cum eum
intueretur,in mentem venturum eſſe fœ-
deris ſui. His ita conſtitutis,Noe qui agri-
cola erat, terram colere & vites ſerere cœ-
pit. Vuis autem expreſsis,cùm vino cuius
vim ignoraret,onuſtus eſſet,atq; in taber-
naculo aperta nudataq; eius natura eſſet,
Cham qui hoc perſpexerat,ſtatim rẽ duo-
bus fratribus nuntiauit. Illi autem pallio
partem illam patris ita operuerunt,vt inte
rim à tergo & retro aſpicerẽt,ne patris na-
turam cernerent. Noe cùm vinum edor-
miſſet,expergefactuſq; rem totam compe
riſſet,&Cham male,& Sem ac Iaphet bene

precatus est, dominosq; hos ipsius Cham, & cham illorum seruum constitueret. Vixit autem Noe post inundationem trecentos quinquaginta annos, quibus si sexcenti superiores addantur, nongentos quinquaginta vixisse reperietur.

ABRAHAE VITA.



Braham Thare patre, cũ ille septuagesimum annum ageret, natus est; habuitque fratres ex eodem patre, Nachor & Aran. Is cùm adoleuisset, viuo patre vxorem duxit Saram nomine: quæ cùm sterilis esset, eam Thare vnà cũ Abraham filio Vr vrbe chaldæorum relicta, secum in fines Chananæorũ ducere voluit: sed cùm in vrbem Haram venissent, ibi domicilium rerum suarum collocauerunt. Mortuo autem Thare, cùm ducẽtesimum quintum annum compleuisset, Deus Abrahæ iam quinque & septuaginta annos nato præcepit, vt patria sua, domoq; paterna relicta, in eam regionem, quam ei demonstraturus esset, vnà cum vxore, liberis, totaq; familia & re familiari, adiuncto etiam Lot patruele proficisceretur. Sic enim futu-

rum prædicebat,vt ei benediceret, eiuſq; nomen clarum illuſtreq; redderet, ac per eum nationes omnes benedicerentur. Paruit Deo ipſe, profectusque domo eſt, vt in regionem Chananæorum, quam Iudæam vocamus, veniret, Sichemque peruenit. Ibi viſus eſt ei Deus, eiusq; poſteris Chanançorum regionem daturum ſe eſſe pollicitus eſt: ob eamque cauſam eo in loco aram Deo poſuit. Alteram etiam extruxit paulò poſt,cũ ad montem Bethel perueniſſet, deiq; nomen & fidem ibi implorare cœpit. Cùm vltra progreſſus meridiem verſus, fame oppreſſos loci incolas cõperiſſet,in Aegyptum venire conſtituerat, cum appropinquanti venit in mentem, monere ac rogare Saram vxorem, vt quoniam eam forma eleganti eſſe ſciret, ob eamque cauſam vereretur ne ſe interfecto illam ſeruarent, cum vxorem eius eſſe intellexiſſent, ipſa ſororem ſe ipſius eſſe diceret. In quo non dedit mentiendi conſilium, quòd Hebrei cognatos fratres ſoliti ſint nominare. Quod illa nõ dubitauit profiteri, ſimul atq; eo ventum eſt.Nam cum principes Pharaoni regi præſtãti forma mulierem veniſſe nuntiaſſent,

captus

captus amore Pharao eam ad se adduci iubet, à qua cum Abraham eius fratrem esse didicisset, eius causa illum perhumanè habuerunt Aegyptij. Sed antequam eam Pharao vxorem duceret, eum Deus illius causa & nomine afflixit, malisq; affecit tot atq; tantis, vt tandem aliquando ea sibi euenisse ob eam quasi culpam intelligens, Abraham accersitũ grauiter obiurgauerit, quòd Saram vxorem suam esse nõ indicauisset. Hinc illa ei reddita quàm primum suis imperauit, vt illum, atq; vxorem cum familia facultatibusq; omnibus, quę ibi vehementer auctæ erant deducerent. Reuersus est Abraham eodem itinere quo venerat ad eum locum, in quo tabernaculum fixerat appellandi nominis Dei gratia. Erat autem admodũ locuples ipse, & Lot eius patruelis; erantq; eorum tam magnæ opes & facultates, vt vnà iam habitare non possent. Itaq; cum gregum vtriusq; pastores inter se altercati essent, se ipsę comé, benignumq́ue prębuit. Lot enim rogauit, vt quoniã non æquum esset inter ipsos qui cognati essent, & vtriusq; opiliones, iurgium intercedere, ille à se disiungeretur. Eiq; optionem dedit, vtram viam, dextram an sinistram,

ſtram, tenere malłet. Lot cũ in omnes partes oculos conuertiſset, omniaq; diligenter quoad eius fieri potuit, luſtraſſet, regionem eam quæ ad Iordanem fluuium pertinet, quę tum irrigua erat, elegit. Seiuncto Lot ab Abraham, ei Deus viſus eſt, qui illum iuberet ſublatis oculis ex eo loco in quo eſſet, ea loca omnia quę ad orientem, occidẽtem, meridiem & ſeptẽtriones ſpectarent, luſtrare, quòd illas omnes regiones ei eiusq; poſteris in perpetuũ daturus & aſsignaturus eſſet, aucturusq; eos eſſet inſtar pulueris, quẽ ſi quis numerarẽ poſſet, poſteros etiam illius poſſet. Itaq; ſurgeret ipſe, atq; terram lõge lateq; peragraret, quòd eã ipſi daturus eſſet. paruit Deo Abraham, mouensq; tabernaculum ſuum, profectus eſt, ſedemq; fortunarũ ſuarum in loco, qui valli cuiuſdam cui nomen Mãbræ erat, adhærebat, collocauit: ibiq; Deo arã poſuit. Illis tẽporibꝰ reges quatuor, qui vniuerſę Syrię præerãt, Amraphel, Arioch, Chodorlahomor, & Thadab coniũctis cõtractisq; copijs bellum geſſerunt, cũ quinq; regibus qui Palęſtinam tenebant. Cauſa belli hæc fuit. Quinq; illi reges duodecim annis chodorlahomor regi, cùm ſtipendiarij

pendiãrij fuissent, decimo tertio rebellarũt. Itaq; accitis quatuor regibus quos nominaui, eo anno quo illi defecerant, regna eorũ, cùm eos vicisset, diripuit: atq; ex Gomorra & Sodoma, cùm reges eorum regno rum fuga salutem quæsiuissent, prædas egit. In his etiam Lot captus est, opesq́; eius omnes abductæ sunt. Quod cùm Abrahã resciuisset, domo sua vernaculos domesticosq́ue trecentos decem & octo educens, hostes persecutus est, magnisq́; itineribus noctu cùm cubitum irent, consecutus, primùm in eos impetum fecit, deinde sauciatos diuisis socijs Chobam vsq; Damasco finitimam vrbem, persecutus est. Ea hostium fuga Lot patruelem suum cum facultatibus omnibus, mulieribus, atq; populo, qui captus fuerat, reduxit. Ea tam clara insigniq; victoria potitus cùm rediret Abraham, victori Melchisedec Rex Hierosolymorũ obuiam factus est, eiq́; panem & vinũ offerens (erat enim Dei altisſmi sacerdos) laudem tribuit his verbis, Benedictus es Abraham à Deo excelso, qui cœlũ atq; terram cõdidit, benedictusq́; est Deus excelsus, quo duce hostes vicisti. Abraham autẽ diuino numine afflatus, cùm ille quis

esset

eſſet intelligeret, ei decimas eorum omnium quæ haberet,dedit:quo facto ſuo eũ maiorem ſe clarioréq́; declarauit. Quinetiam Sodomorũ Rex,gratię referendę cauſa hominibus tantum receptis,qui abducti fuerant,cætera Abrahæ, vt ſibi haberet conceſſerat, cùm ille ſe quicquam retenturum pernegauit, ne ipſe illum à ſe opibus auctum diceret. His ita geſtis,per quietem eum Deus viſus eſt monere,ne timeret: ſe enim ei auxilium atq; opem eſſe laturum, magnaq́; ei propoſita eſſe præmia. Cumq; ille à Deo quæreret, quidnam ſibi daturus eſſet,cui ſemẽ minimè dediſſet,ex quo ad ſeruum ſuũ hęreditatem venturam eſſe intelligeret: tum Deus illum negauit, quẽ diceret hæredem futurum,ſed eum quem eſſet procreaturus. Eductumq́; foras cœlũ intueri iuſsit ac ſtellas numerare ſi poſſet,quarum numerum æquaturi eſſent eius poſteri.Credidit Abraham Deo,idq́; illi iuſtitiæ datũ eſt: ſed tamẽ eũ rogare cœpit,vndę intelligere poſſet,ſe eam omnem regionem poſſeſſurum eſſe, quam ipſi daturũ ſe eſſe diceret. Deus tũ cũ,vaccam trimam, caprã trimam, & arietem trimum turturem atque columbam iuſsit ſumere.

Hæc

Hęc ille cùm accepiſſet omnia pręter aues, in partes duas æquas diuiſit: quas cùm ſeparatim haud procul collocauiſſet, aues in cadauera irruerunt, easq́; abigebat. Sole autem occidente ſomno opprimi cœpit, magnusq́; eum horror inuaſit. Tum ei prędictũ eſt, peregrinos fore in aliena regione ipſius poſteros, in qua hominum loci ſerui eſſent quadringentis annis: ſed tamẽ dominos illorum ſe eſſe iudicaturos, tum que eius poſteros redituros eſſe cum magnis opibus & copijs rerum omnium. Hanc autem populi captiuitatem non illius temporibus euenturam, eſſe poſterosq́; eius quarto demũ ſeculo eſse reuerſuros. Sara eius vxor, ſterilis tum etiam erat, nec genuerat liberos. Quod grauiter ferens, virũ rogauit, vt quoniam ſterilis erat, ipſe cum ancilla Aegyptia, quam haberet, Agar nomine, concumberet, ſi fortè vel ex ea liberos ſuſciperet. cùm illius cõceſſu eam vxorem duxiſſet, illa quæ ex Abraham ſe concepiſſe cognoſceret, Saram cœpit contemnere. Hoc viro Sara indicat. Ille Agar, quæ eius ancilla eſſet, vt vellet vti poſſe dixerat, cùm illa in eam malè conſulere cœpit, ita vt fugere dominæ conſpectum ancilla

coge-

cogeretur. Eam angelus Dei cùm fugientem inuenisset, ex illa quæsiuit, vnde ipsa quę Sarę ancilla esset, veniret, aut quonam abiret. Cum respondisset Agar, se dominę conspectum fugere, ei ille præcepit, vt rediret ad dominam, seq; ergà eam summissiùs gereret. Illud etiam addidit præterea, illam quæ concepisset, pariturã esse filiũ cui Ismahelis nomen imponeret, propterea quòd Deus eam in rebus afflictis audiuisset: posterorum eius tantum fore numerũ, vt nemo consequi posset. Reuersa Agar, Abrahæ sex iam & octoginta annos nato, Ismahelem peperit. Anno pòst, Deus Abrahæ pollicitus est, si præceptis suis pareret, virtutemq́; coleret, fore vt fœdus cùm eo iniret, paterq; multarũ nationũ esset. Itaque eum non Abram iam (id em̃ ad illud tempus nomen ei fuit) sed Abraham, id est, multarum nationum patrem appellatum iri. Fœdus autem, quod ipse atq; eius posteri seruaturi essent, his verbis expressit: Mari omni præputiũ amputator. Puero infanti octauo ortus die præputium præciditor: siue vernaculus fuerit, siue emptitius. Hinc marem, cui præputium circumcisum non fuisset, in

populo ſuo habiturum ſe negauit. Saræ etiam nomen mutari voluit. Nam cum ad illum diem Sarai Hebræorum lingua appellata eſſet, id eſt, domina vel princeps mea: Saram, id eſt, dominam vel principẽ, appellari iuſsit: atq; ex illa ei filium daturum ſe eſſe pollicitus eſt, cui ita benedictu rus eſſet, vt nationes regesq́; ex eo naſcerẽ tur. Cum in faciẽ pronus cecidiſſet, riſit, atq; hoc ſecũ in animo voluebat, num ipſe qui centũ annos natos eſſet, filiũ gigneret, & Sara quæ nonaginta, pareret. Itaq; hoc vnum à Deo petebat, vt Iſmahelem ſaluũ eſſe vellet. Deus autem eum verè ex Sara filium ſuſcepturum eſſe confirmauit, quẽ Iſaac nominaret, qui cũ fœdus iceret ſempiternũ. Quinetiam precibus illius adductum ſe benedicturum Iſmaheli, aucturũque eum ita, vt duodecim duces gigneret. Sed tamen fœdus ſuum cũ Iſaac ſe eſſe per cuſſurum, quẽ anno poſt ex Sara ſuſcepturus eſſet. Cum Deus finem dicẽdi feciſſet, Iſmaheli filio, qui iam tredecim annos cõpleuerat, omnibusq́; maribus familiæ ſuæ tam vernaculis quàm emptitijs, tam generis ſui quàm alieni, præputium Abraham, quemadmodum Deus imperauerat, præcidit,

cidit. Nec vero in eo tantum laudandus eſt Abraham, quòd præceptis diuinis, quæ ad huc expoſui, ſemper & libenter paruerit: ſed in eo etiam, quòd peregrinos ac viatores nõ ſolum in domum ſuam recipere venientes, & rogantibus ea quæ ad victũ pertinent, præbere ſolitus ſit, verùm etiam prætereuntes, dum eis obuiam prodit, rogare, victumq; præbere ex ijs quæ optima haberet. Hoc ex eo quod iam exponã, vel facillimè perſpici licebit. Sedebat pro foribus tabernaculi meridie, quo ſolet maior vis æſtus exiſtere, vt ſi quos viatores animaduertiſſet, hoſpitalitatis in eijs iura & officia excoleret. conſpicanti & obſeruãti diligentiſsimè, viſi ſunt viri tres (tres autẽ perſonæ diuinitatis fuiſſe intelliguntur, nec primùm ille intellexit) propter ipſum cõſiſtere. Ille qui rem quam ſtudioſè quæreret, ſe inueniſſe non ſolum cerneret, verùm etiam lætaretur, quãprimum ex oſtio maxima celeritate eis obuiam currit, eoſque veneratus, rogat, vt ibi paulũ quieſcerent, dum aquam abluendis eorum pedibus, panemq; proferret, quibus animi eorum viresq; reficerentur. Cum illi aſſenſi eſſent, non Saræ vxori, non trecentorũ ſeruorum

uorum alicui aliquibusque negotium dedit, sed ipse domum properans, cùm Saræ conficiendorum panum ex simila negocium dedisset, ad armentum cucurrit, opimumq; vitulum arripiens seruo coquendum dedit. Coctum cum pane, lacte & butyro eis apposuit. Cùm illi edissent, quantum & quandiu visum fuisset, rogarũt vbi Sara esset: cùm in tabernaculo esse respondisset, rediturum se Deus dixit, (nam Deũ iam esse cognouerat) tumque fore vt Sara pareret filium. Sara quæ sterilem se esse & prouectæ ætatis videret, exaudita voce post ostium riserat: cum Deus ex illo quærit, cur illa risisset, quasi aliquid Deo difficile esset: illa timore perterrita risisse se negat. cuius orationẽ Deus pluribus refellit. Quod sequitur, quantũ apud Deum Abraham gratia valuerit, indicat. Cùm tres illi viri, id est, Deus iam vt dixi, hominum specie ac figura surgentes oculos in Sodomorum & Gomorranorũ vrbes intendisſent, Abrahæ qui eos deduceret, rem quam gesturi essent, se celare posse negauerunt, præsertim cùm ex eo natio maxima & potentisſima originem ductura esset, nationesq; per eum benedicendæ essent, ipsum

vero ſcirent poſteris ſuis præcepturum, vt ijs quæ iuberent, obtemperarent. Exponunt Sodomorum Gomorranorum ſcelera eſſe & plurima & grauiſsima, quibus cõcitati eos delere eorumq́; vrbes funditus euertere ſtatuiſſent. Iamq; illi rectà Sodomam abibant, cum Abraham accedens ex Deo cœpit quærere, num bonos cum improbis perditurus eſſet: Si in eis vrbibus quinquaginta viri boni inuenti eſſent, an ſimul perirent: nec propter quinquaginta viros bonos, ſi in eis eſſent locis, illis ignoſceret? Non eſſe illius, bonum cum improbo delere, vt vir bonus eadem conditione numeroq́;, quo ſceleſtus, habeatur; non eſſe hoc illius, qui omnem terram iudicaret. Cùm Sodomis Deus quinquaginta virorum bonorum, ſi inuenirẽtur, virtute & pietate adductum, veniam daturum ſe reſpondiſſet: rurſum quæſiuit, quid ſi quinq; & quadraginta inuenti eſſent, quid ſi quadraginta aut triginta, aut viginti, aut etiam decem. Ad hæc omnia ſigillatim Deus ita reſpondit, vt ad extremum diceret, ſi decem ibi reperti eſſent viri boni, fore, vt propter eos ciuitati ignoſceret. Ex quibus & Dei in peccatores miſericordia

& virtutis bonorum apud eundem commendatio,eorumq́; gratia & Dei in Abraham amor,& charitas intelligi poteſt. Euerſæ autem ſunt vrbes illæ, deletiq́; omnes ciues præter Lot,vxorẽ eius & duas filias: quod quemadmodũ factum ſit, mox cùm de Lot dicendum erit,aperiemus. Lot tamen ex tãtis malis,Abrahæ virtute & fide ductus Deus eripuit. Migrauit inde Abraham meridiem verſus, habitauitq́; vt peregrinus in Gerara. Cùm Saram ſororẽ ſuã eſſe dixiſſet, Abimelech Rex Geraræ eam rapuit. Noctu autem per quietem Abimelech Deus grauiter obiurgauit, moriturũque dixit, quòd Abrahæ mulierẽ ademiſſet. Abimelech perterritus,qui Saram nõdum cõtigiſſet, ſe & eius rei ignarum eſſe, qui ſororem ſuam illum cùm diceret,audiuiſſet, & innocentem cui nihil rei cum ea fuiſſet,reſponderat, cum Deus vtrunq; ſcire ſe dixit, ob eamq́; cauſam hoc feciſſe, vt ne ſibi peccaret.Itaq; viro vxorem ſuam redderet, qui cùm propheta eſſet pro illo oraret,vt viueret. Quam niſi redderet, ſciret ſibi quamprimùm eſſe moriendum. Non in poſterũ diem,aut ad illud tempus cum illuxiſſet,rem reiecit Abimelech: ſed quam-

quamprimùm ſurgit & Abraham accerſen
dum curat, grauiter cũ eo expoſtulat,quæ
rit, quid ſceleris admiſiſſet, aut iniuriæ ei
feciſſet, qui tanti mali penè cauſa fuiſſet:
quamobrem ſororẽ ſuam eſſe dixiſſet,quã
magno ſuo penè malo vxorẽ eius eſſe didi
ciſſet. Cùm Abraham eadem excuſatione
vſus eſſet,cur id feciſſet, qua vſum eum a-
pud Pharaonem paulò antè dixi:cum oui-
bus,bobus,ſeruis,ancillis,&præterea mil-
le argenteis ei vxorem reddidit,conceſsit
que vt vbicunq; vellet,locũ domicilio de-
ligeret, Orauit autem ille Deum, vt Abi-
melech ignoſceret, eiusq; precibus addu-
ctus Deus,illum,eiuſq; vxorem & ancillas
curauit,mulieresq; deinceps pepererũt,cũ
antea ob Saræ raptum parere deſijſſent.
Sara autem conſtituto à Deo tempore pue
rum Abrahæ peperit, eiq; nomen Iſaac im
poſuit Abraham,atq; octauo die preputiũ
amputauit. Ablactationis verò pueri die
magnificum conuiuium idem præbuit.Vi
derat Sara Iſaac filium cum Iſmahele ancil
læ ſuæ filio ludentem: quod grauiter fe-
rens cum viro egit,vt ancillam eiusq; filiũ
amandarat. neque enim ancillæ filium
cum filio ſuo,id eſt, vt Paulus interpreta-
 tur,libe-

tur, liberæ hæreditatem aditurum. Cum acerbè verbũ illud Abraham ferret, Deus eum monuit, ne aspera ei duraq; illa videretur vxoris oratio, propterea quòd ex Isaac posteri ei nascerentur, quãquam Ismahelem quoq; magnæ claræq́; nationis principem, quod illius semen esset, instituendum à se intelligeret. Quibus verbis Deus, vt Paulus ait, duo testamẽta instituit. Hinc æquior factus Abraham, manè ancillam dato pane & aqua, impositoq; illius humeris Ismahele, dimisit. Eodem tempore Abimelech Gerarae Rex, qui Deum Abrahæ in ijs omnibus quę gereret, adesse videret, fœdus cum eo fecit, ne qua in re ipsi, eiusq́; posteris obesset, idq́; vt iureiurando Dei sui seruaturum se promitteret, & rogauit & impetrauit. His ita gestis Abrahæ, vt ita dicã, obedientiam in re perdifficili magnaq́; tentauit. Ei enim præcepit, ut Isaac vnigenitum filium, quem charum haberet in monte quodam immolaret. Paruit ille statim, quantum in ipso fuit, offerebatq́; in monte vnigenitum, in quo promissionem posteritatis, iam, vt dixi, acceperat, quòd, vt ait Paulus, Deum à mortuis eum excitare posse arbitraretur. Hujus ergo fidei

go fidei plenus, noctu surgens asino instrato, filium cum duobus adolescentibus duxit, cæsisq; lignis ad excitandũ ignẽ, ad locũ quẽ Deus designasset, profectus est. Bidui itinere confecto, tertio die cùm eminùs locũ ipsum cerneret, pueris præcepit, vt ibi expectarent cum asino, dum ipse atque filius adorato Deo, reuerterent. Lignisq; in Isaac humeris impositis, ipse manibus ignẽ, & gladium portabat. Isaac qui omnia quæ necessaria erant, præstò esse præter hostiam videret, in itinere ex patre quærebat, vbi illa esset, cùm ille Deum sibi hostiam paraturum, ac prouisurum respõdit. Perueniunt ad locum, quem Deus patri ostẽderat. Ibi aram Deo ponit Abrahã, & in ea ligna componit, ad ligna vinctum filium accommodat & applicat: districtoq; gladio iam manum ad immolãdum mactandumq; filium paratus erat demittere, cùm Angelus Dei è cœlo bis eum nomine appellans, vetuit, ne manũ in puerũ porrigeret. Se em̃ iam Deum ab eo timeri scire, propterea quòd vnigenito filio sua causa non pepercisset. Sublatis oculis videt à tergo arietem inter vepres cornibus hærentem, eum sumit ac pro filio immo-

lat. Quæ Abrahæ tam propensa in re præsertim tam difficili ad obediendum volũtas, ita Deo grata fuit, vt iterum eo ipso in loco eum nomine appellans, confirmauerit, quod filio suo vnigenito minimè pepercisset, præceptoq́; suo paruisset, fore, vt eius posteri stellas, cœli marisq́; arenã æquarent, portasq́; inimicorũ suorũ possiderent omnesq́; gentes semine ipsius, id est Christo, ut ait Paulus, benedicerentur. Hinc pleriq;, Abraham dié Christi in immolando filio & vidisse & gauisum esse cõfirmant. Vt enim Isaac ligna, sic Christus crucem portauit: & quemadmodum Isaac saluus & integer mansit & aries immolatus est, sic diuinitas nihil perpessa est, sed Deus mortem humana specie & carne pertulit: Sarræ autẽ vxori posteaquam centũ septẽ & viginti annos vixisset, mortuæ iusta funeri fecisset, agrumq́; sepulturę emit ab Heth filijs. Ipse quoq; in eodẽ agro, id est, in spelũca duplici, ab Isaac & Ismahele filijs suis, anno ętatis suę cẽtesimo quinto & septuagesimo moriẽs sepultus est. Sed ante mortem cùm alios filios ex Cetura, quam Sara mortua duxerat, suscepisset, filijs concubinarum muneribus datis, Isaac possessio-

possessionum agrorumq́; omnium hæredem instituit,eiq́; vxorem generis sui Rebeccam prouidit,quemadmodum in Isaac vita mox docebimus.

LOT ABRAHAE PATRVELis, id est fratris eius filij,vita.



Ot Aran eo,qui Abrahæ frater fuit,patre natus est. Eum Thare auus,Abrahæ pater, cũ Aran pater eius in vrbe chaldęorum Vr nomine,in qua natus fuerat, mortuus esset,vnà cum Abraham filio & Sarra nuru sua in regionẽ Chananęorũ,quæ hodie,vt ait Iosephus,Iudæa dicitur, cum vellet dũcere,Haran peruenit,ibiq́; omnes domicilio sedem delegerunt. Mortuo autem Thare auo, Abraham propinquum, cui Deus prçcepisset,vt patria domoq́; patris relicta in fines regionis,id est, Chananæorũ,quã ei monstraturus esset,proficisceretur,secutus est.Per Aegyptum cũ transeundũ esset, aliquot annos ibi vnà omnes habitauerunt,cùm intereà eorum res familiaris ita aucta est,& creuit Dei benignitate,vt locu

pletissimo

pletiſsimo cuiq; iam tum vel anteponi, vel certè comparari poſſent. Raptus quidem Sarræ cauſa fuit, cur ibi commorati ſint, ob quem cùm pharaonem Deus malis maximis affeciſset, ipſe qui hoc intelligeret, Abraham reddita vxore per ſuos cũ omni familia & re familiari deducendum curauit. Ex Aegypto meridiem verſus Abraham cum ſuis eodem itinere quo venerat, reuerſus eſt, eiq; ſe Lot, quemadmodum ad illud tempus fecerat, & itineris comitẽ & laborum periculorumq́; participẽ præbuit. Eò cum veniſſent, vbi antea taberna cula fixerãt, vtriuſq; paſtores, nec ita multò pòſt altercari inter ſe cœperunt: quę res occaſionem dedit locorum domiciliorum que mutationis. Cùm enim Abraham paſtores inter ſe iurgatos eſſe cognouiſſet, Lot demonſtrat, ad vitandum iurgium ani morumq́; alienationem, ei neceſſariò aliò migrandum eſſe, & quò id æquiore animo faceret, vtram partem mallet tenere, optio nẽ dedit. Lot luſtrata oculis omni circùm regione, eam quæ Iordanem tangit, elegit, atq; in vrbe Sodomorum ſedem domiciliúmq́; collocauit. Sodomi tum grauiſsimis turpiſsimisq́; flagitijs ſe contaminauerant,

uerant,nec viri tãtum & mulieres omnes; ſed etiam pueri. Lot qui inter tam flagitioſos obſcœnoſq́; ſe viuere cerneret,nec videre,nec audire eorum obſcœnitates ſuſtinebat: nec eas modò deteſtabatur, verum etiam flagitioſis eorũ operibus,vt ait beatus Petrus,excruciabatur. Itaq; cum vrbẽ illam atque finitimas,Deus ſupplicij cauſã euertere ac delere cõſtituiſſet, Lot virum bonum nõ ſolùm à ſceleratorum illorum iniuria,obſcœnaq́; cõſuetudine liberauit, verùm etiam ex ijs periculis malisq́; omnibus eripuit,quæ illi acciderunt. Nam cum Deus, aperto Abrahæ conſilio ſuo de excidendis illis vrbibus,eius precibus adductum ſe,bonorumq́; ad extremum decem, ſi ibi reperirentur,virtute impulſum,ciuitatibus veniã daturũ eſſe dixiſſet: id quod in Abrahæ vita pluribus expoſui, angelos duos in vrbem Sodomorũ miſit,qui euerſione vrbis imminente nuntiata, Lot eriperent. Sed rem omnem ordine vt geſta eſt,exponi melius eſt.Sedebat veſperi Lot ſtudio recipiendorum hoſpitum,pro portis vrbis, cùm angeli duo in vrbem venerunt. Eos cùm eò contendere velle intelligeret,non expectauit,dum ad ſe venirẽt;

ſed eis obuiam iuit,eosq́; cum ſupplex ſalutaſſet, vehementer rogare cœpit,cũ homines eſſe exiſtimaret, vt domum ſuam diuerterent,ibiq́; manerent, pedes abluerent,& prima luce eò quò conſtituiſſent, proficiſcerentur.Cùm hoc ſe facturos negarent,ſeq́; in via manſuros dicerent,coëgit, eos ad ſe diuertere. Ibi cœnam eis quo potuit apparatu dedit. Oppidani,qui duos illos adoleſcentes domũ Lot ingreſſos eſſe cognouiſſent,antequàm cubitum irẽt, ad vnum omnes viri,mulieres ac pueri,domo eis vallata,quærere ex Lot cœperũt,vbi eſsẽt viri,qui noctu ad eũ introiuiſſent,imperareq́; , vt eos educeret ad explẽdam cum illis libidinem. Egreſſus ad eos Lot,occluſo oſtio , monebat illos ne tam immane ſcelus admitterent, ſeq́; dicebat filias duas habere,quę nondũ cũ viro concubuiſſent,easq́; ſe eductur ũ eſſe , quibus eis ſua arbitratu abuti liceret, dũmodo à viris illis ſe abſtinerẽt. Illi Lot minantur, niſi abiret, qui peregrinus iudex eorũ eſſe vellet,ſe grauius in eum,quàm in illos eſſe cõſulturos. Iamq́; vim maximam Lot afferebant,parumq́; aberat, quin fores effringerẽtur,cũ duo angeli manibus apprehen

ſum

ſum Lot introducũt,clauſoq́; oſtio,omnes occæcant,ita vt iam oſtium inuenire non poſſent.tũ monẽt Lot,vt ſi quos generos, filios filiaſue haberet, ſuos omnes educat, quod miſsi eſſent à Deo delédæ vrbis gratia propter vitiorũ obſcœnitaté. Cum generos ſuos qui eius filias accepturi erant, cõueniſſet, eosq́; de omni re docuiſſet,eũ ludere ac iocari exiſtimauerunt. Mane angeli monent eum,vt vxorem ac duas filias educat, ne ipſe in ciuitatis ſcelere periret. Cũ etiam tũ diſsimularet,eum, vxorem ac filias manibus ex vrbe educunt, monétq́; vt vitã ſuam ſeruet,ne retro à tergo reſpiciat, neq; in regione illa cõſiſteret,ſeq́; in monte ſeruaret. Rogare eos cũ ille cœpit, vt quoniam in monte ſeruari non poſſet, ſibi quem è mortis periculo eripuiſſent, paruum oppidum,quod Segor poſtea vocatum eſt,in quod poſſet fugere, & ſeruari,concederet.quod libẽter fecerunt. Lot vix in illud oppidulum peruenerat, cùm Deus iacto è cœlo igne, & ſulphure,Sodomam & Gomorram, omnesq́; incolas vrbium omnemq́; illam regionem deleuit. Lot autem vxor contra angelorum præceptum retrò à tergo curioſius reſpiciens,in

ſalis

ſalis ſtatuam verſa & mutata eſt. Lot qui Segor manere ſatis tutũ minimè putaret, eo relicto oppido, ſe in montem vnà cum filiabus recepit,atq; in ſpeluncam abdidit. Ibi filiæ, quæ mulierem nullam aut virum ex illo excidio ſupereſſe putarent,& patrẽ ſenem viderent,viciſsim noctibus duabus cum eo,quem vino obruerant,concubuerunt: quo duplici concubitu,quem ille minimè ſenſit,ex patre cõceperunt, & poſtea pepererunt: maior quidem natu filium quẽ Moab,minor alterum quem Ammon nominauit.

MELCHISEDEC VITA.


MElchiſedec Rex vrbis Salẽ, quę poſtea Hieroſolyma dicta eſt, & Dei ſacerdos, quibus parentibus natus ſit, literarum diuinarũ monumentis non eſt proditum.Atq; hoc ipſum eſt, ꝙ Paulus in epiſtola ad Hebræos tradit,eũ ſine patre eſſe, ſine matre, ſine genealogia,eũdemq; nec initiũ dierũ, nec finem vitæ habere. Ob eamq; cauſam Chriſto Deo filio ęum cõparat, cuius nec dierum initium ſit,nec finis regni & ſacerdotij.

dotij. Hic Melchiſedec nomine etiam ſuo & regno Chriſtum ſignificauit. Melchiſedec enim Hebraico ſermone Rex iuſtitię: & Salem, pax dicitur: vt etiam Paulo interprete, idem & iuſtitiæ rex ſit & pacis: quæ chriſto Dei filio maximè cõueniunt. Hinc Chriſtus ſacerdos non Leuitici, ſed Melchiſedeciani ordinis oraculo diuino fuiſſe dicitur. Quoniã igitur Paulus genus eius, non ſolum non tradit, ſed etiam inueniri negat, de illo nihil eſt quod poſsim dicere. Hoc tantũ de eo ſcriptum eſt apud Moſen, in libro qui Geneſis inſcriptus eſt, & apud Paulum in Epiſtola, quam modò nominaui, eum Abrahæ, qui à cæde quinque Regum victor rediret, cum Lot eiuſq; facultatibus omnibus quas diripuerant, obuiam veniſſe, ac benedixiſſe, eiq; Abrahã, qui quantus ille vir eſſet diuino numine afflatus, intelligeret, omnium rerum quas tum haberet, decumas obtuliſſe. Quibus rebus duabus eũ Abrahæ anteponit, cùm & minori maior benedicere (hoc enim verbum teramus pro Latino) & minor maiori decumas offerre ſolitus ſit, aut potius debeat.

ISAAC ABRAHAE FI-lij Vita.



Saac Abraham & Sarra optimis clarissimisq; parentibus natus est, cùm ille centesimum, hæc nonagesimum annum ageret. Oraculo diuino, iussuq; Dei hoc ei nomē parentes imposuerunt, quod ab euentu accepit, propterea quòd ipsi cùm filium se procreaturos tam prouecta ætate audirēt, riserint. Isaac enim Hebraicè, risus vocatur. Is quantus vir futurus esset, Abrahæ sæpe vt in eius vita diximus, Deus prædixit. Ab eo enim semen profecturum, quo Deus nationibus omnibus benedicturus, id est, beatā vitam daturus esset. Hic enim Christum significauit in sacrificio & immolatione, cum ligna portauit, quemadmodum etiam Christus crucem. Octauo die ei à parentibus, quemadmodum à Deo præscriptum erat, præcisum est præputiū. Quàm charus eis esset hinc intelligi potest, quòd eum tum genuerunt, cum spes illis omnis adempta esset gignendorum liberorum: quodq; in eo à Deo promissiones hæreditatis beatæque vitæ acceperant.

rant.Nec tamen eæ tam magnæ grauesque causæ diligendi filij, Abrahæ in Deũ charitaté obscurare potuerunt,aut vincere. Eũ enim talem filium iussu Dei, quantum in ipso fuit,immolauit, quod Deum,qui illũ in senectuté dedisset,eum à mortuis excitare posse crederet.In quo si pater sic laudatus est à Deo, vt hæreditatem beatitudinemq; gentium ei promiserit,quòd ei parẽs vnigenito filio nõ pepercerit: filij etiã magna laus est, qui se passus sit à parente vinciri,& ad ligna applicari.Neq; enim repugnasse,aut obstitisse dicitur,& iã adolescentiam ingressus erat,quippe qui tridui iter pedibus confecerit, & ligna humeris suis procul portauerit. Nec in eo aliter Christi personã sustinuisse videretur, nisi summa voluntate,quã paternę cõsonare vellet,morté quantum in eo fuit, pertulisset. Quę si principio minimè præstò fuit, tum cùm de hostia deliberare visus est: at tandẽ certè adfuit. Quantũ parenti tribuerit semper quãdiu ille vixit,& ex immolatiõe,de qua modò dixi, existimari potest, & quòd eo anno vitę suæ,quem Abraham pater pręscripsit,id est quadragesimo,vxorem duxerit, nec eam quam sibi ipse, sed

quam ei pater delegerit,id est Rebeccá Bathuel Nachor eius,qui frater Abrahę erat, filij filiam: præsertim cùm eam tam chará habuerit simulatq́ue eam vxorem accepit, vt luctũ doloremq́ue,quem maximum ex Sarræ matris morte perceperat, magna ex parte leniret. Eum mater ita vnicũ dilexit in vita, vt virum monuerit, vt Ismahelem eius ex ancilla filium, domo eijceret, quòd eum hæredem cum Isaac filio esse passura non esset. Id quod diuino instinctu afflata fecisse videtur. Ná cùm hoc eius verbum grauiter Abraham accepisset, à Deo monitus est, ne ei graue videretur, moremq; in eo Sarræ gereret. Itaq; illa iam mortua, cùm sibi appropinquanté mortem sentiret, húc vnum agrorum possessionumq; omnium hæredem instituit, cæteris munera largitus est. In cõiugio annos vndeuiginti sine liberis consumpsit, vigesimo autem demum anno, cum Deum vehementer, vt sibi liberos daret, rogasset, geminos Esau & Iacob ex Rebecca vxore suscepit. Illa, quę cùm ex viro concepisset, infantes collidentes confligentesq́ue in vtero sentiret, satiusq́ue fuisse non concipere, si ita futurum erat, diceret, con-

sulen

ſulendum ſibi Deum çenſuit:Deus reſpõdit,gentes dúas in illius vtero eſſe, futurumq́; vt duo populi ex ventre diuiderentur,minoriq́; maior ſeruiret. Cùm dies pariendi veniſſet, gemini prodierunt: prior rufus erat,&totus hiſpidus,isq́; Eſau vocatus eſt: alter ſtatim ſubſecutus eſt,quodq́; manu plãtam pedis fratris tenebat, Iacob nomen inuenit. Orta autem fame cum ad Abimelech Palæſtinorum Regẽ veniſſet, Deus viſus eſt eum monere,aut ei imperare potius, vt ne in Aegyptum proficiſceretur,ſed in eo loco quem demonſtraturus eſſet, ſedem ſibi quæreret: ſic enim fore, vt ipſi adeſſet, ac benediceret, idq́; iuſiurãdum,quo ſe Abrahæ illius patri obſtrinxiſſet,ſeruaret. Ex eo die in Gerara iuſſu Dei habitauit, eiusq́; opes adeò paulatim creuerunt, vt tandem aliquando cum Palæſtinorum mala gratia locupletiſsimus euaſerit. Itaque obſtructis obturatisq́; terra puteis,quos Abraham foderat, Abimelech Rex edixit, vt diſcederet, nec aliam ob cauſam,niſi quòd Palæſtinis potentior euaſiſſet.Mirum eſt,ſi per ſe conſideretur, quòd cum ſeuiſſet, centuplũ meteret. Sed cum id ad Deum,qui præpotens eſt,refertur,

tur, mirum videri non ſolet. Nec verò in ea re Palæſtinorum in Iſaac odium aut inuidia conſtitit, ſed longius etiam progreſſa eſt, quoad à veritate coacti, Dei optimi maximi, quem coleret, beneficijs, eius res & opes augeri profeſsi ſunt. Hanc de eo opinionem habentes, cum ad illum quem iam bis expuliſsent veniſsent, fœdus cum ipſo inierunt, ne quo ipſos malo afficeret. Quandiu autem poſtea vixerit, incertum eſt. Ante mortẽ cum ita ſenex eſset, vt captus eſset oculis, nec videre poſset, Eſau maiori natu filio bene precari voluit, itaq; eum monuit, vt ferã coctam afferret, qua ſe delectari ſciret, quòd ita demum ei bene precaturus eſset. Iacob autẽ minor natu à Rebecca matre, quæ hæc dicentem virum audiuiſset, ſuppoſitus benedictionẽ patris prior occupauit, cum allata fera manuum hiſpiditatẽ maioris fratris expreſſiſset, tanta matris arte, vt pater eum tangens, Iacob quidem vocem, manus autem Eſau eſse fateretur. Longum eſset narrare quæ pater dixerit, quæ Eſau cum poſtea reuerſus rogaret patrem, vt ſibi bene precaretur: quæ omnia mox commodius in Iacob vita dicentur.

IACOB

IACOB ISAAC FILII
Vita.

IAcob Iſaac & Sarræ filius, ita natùs eſt, vt Eſau qui prior ex vtero prodijt, plantam pedis manu teneret: ex quo nomen illud inuenit. Iacob enim Hebraicè, ſupplantator dicitur. Is quantus vir futurus eſset, Deus cùm etiam tum in aluo matris contineretur, prædixit. Nam cùm gemini in aluo contra naturam inter ſe confligerent, Rebecca mater Deũ conſuluit, quid hoc ſibi vellet: à quo reſpõſum accepit, duos populos eſse, quorum minoris maior ſeruus eſset futurus. Itaque iam tum idem reſpondit, charum ſe habere Iacob, Eſau odiſse. Magnitudo eius & claritas, qua in re enituerit, ex ijs quæ ſequuntur, intelligemus. Cùm adoleuiſset, atq; ex ephebis exceſsiſset, ſimplici candidoq; animo prẹditus, in tabernaculis habitare cœpit, cũ Eſau maior natu frater venationi, & agriculturæ ſe dedidiſſet. Vt res ea, quã de eius principatu Deus prædixerat, exitũ haberet, coxerat ille pulmentum, cuius cũ partẽ Eſau ex agro feſsus veniens, ut ſibi daret, rogaret: negauit ſe illi alia lege daturum, niſi ius primogenituræ

quam vocant, venderet, venditionemq; iureiurando sanciret. Accepit ille conditionem, paneq; & lente ius suum iureiurando adactus vendidit, idq; neglexit. Hinc prophanus à beato Paulo Esau vocatur. Eadẽ res hinc quoqne ac multò etiam facilius intelligi potest. Nam cùm Esau Isaac patri, Iacob Rebeccæ matri charus esset, velletq; pro more Isaac Esau vt maiori natu bene precari, mater diuino numine vt grauissimis auctoribus placet, afflata, Iacob suppo suit, eique pater senectute cæcutiens pro Esau bene precatus est. In bene precandi formula, quæ testamenti vim habuit, cùm alia multa, tum hæc continebantur: Populi serui tui sunto: te tribus adoranto: fratrum tuorum dominus esto: teq; matris tuæ filij supplices venerantor. Atque hæc quidem Isaac consilij tum diuini ignarus, non solùm Iacob bene precatus est, sed etiam lege testamẽtaria sanciuit. Itaq; cùm paulò post Esau promissam & penè debitam, vt ita dicam, benedictionem à patre peteret, multisq; verbis vrgeret, ad extremum Iacob minorem natu filium, fratrem ipsius, se eius dominum constituisse dixit, fratresq; illius seruituti eiusdẽ subdidisse:
eundem-

eundéq; victurũ ex cæde & gladio, fratriq; ipsius seruiturum: sed tempus venturum, cum iugum eius solueret. Hæc autem benedictionis occupatio, adeò Esau Iacob in festum reddidit, vt post mortem patris eũ interficere constituerit. Quod cũ Rebeccæ nuntiatum esset, accersitum Iacob, de odio fratris in ipsum, quod sola mors exatiare posset, docet, monetq; vt ad Laban, quem illa fratrẽ habebat, cõfugeret, apud quem habitaret, dum fratris furor & odiũ illud placaretur, quod intra paucos dies futurum pollicetur. Eademq; ad Isaac virum adiens, negat sibi vitalem ac suauem hanc vitam fore, si Iacob vxorem in illa regione acciperet. His vxoris verbis impulsus Isaac, Iacob cum ei bene precatus esset, optassetq;, vt ei omnia euenirẽt, quæ Abrahæ Deus pollicitus esset, vetuit, ne vxorem ex Chananæorum genere sibi deligeret, imperauitq; vt se in Mesopotamiam Syriæ ad Laban Bathuel filium, matris ipsius fratrem proficisceretur, vxoremq; ex eius liberis acciperet. Paruit Iacob parentum pręceptis, profectusq; domo paterna, cùm post solis occasum ad locum quendam venisset, ac sub dio quiescere vellet, lapide

pro puluino vſus, ſomnum cepit. Ibi per quietẽ ſcalam ingẽtis magnitudinis vidit, cuius cacumen cælum tangeret, aſcendentesq́; & deſcendẽtes per eam Dei angelos, & ſcalę innixum eum, qui ipſi Deũ ſe Abrahæ & Iſaac eſse diceret, terrãq́; in qua dormiret, ei eiusq́; poſteris daturum polliceretur, poſteros eius pulueris numerũ æquaturos, ipſum ad meridiẽ, orientẽ ſolem, & occidentem, ſeptemq́; triones peruagaturum, in ipſo eiusq́; ſemine gentes beatitudinem adepturas: ſe ipſius cuſtodẽ futurũ quocunq; proficiſceretur, eumq́; in illam terrã in qua tum eſset, reductũrũ, nec antè conquieturum, quàm omnia quę dixiſset, præſtitiſset. Iacob poſtea experrectus, memoria ea omnia quæ vidiſset, repetere cœpit, eisq́; ductus dicere, vere Deũ in eo loco eſse, & tamen ſe eius rei ignarum adhuc fuiſse: Perterritusq́; terribilem locum illum eſse, nec aliud in eo, niſi domũ Dei portasq́; cæli eſse dixit. Mane cùm ſurrexiſset, lapidem erectum & excitatum, quo vſum eum eſse dixi pro puluino, oleo perfudit, & Bethel vrbem quæ prius Luza dicebatur, nominauit. Votum etiam nuncupauit, ſi Deus ipſi adeſset, cuſtodemque ſe ipſius

ipſius in via quam conficeret,præberet,pa nemq́; & veſtitũ ſuppeditaret, vſusq́; eſset proſpera fortuna in reditu,fore,vt Dominus pro Deo ipſi eſset, & lapis quem erexiſset domus Dei vocaretur.Profectus inde venit in regionem,quę ad orientẽ pertinebat.In via puteum offendit,tresq́; ouium greges ad eum accubantes.Os putei ingenti ſaxo tum obturatũ erat, obturariq́; ſolebat ſemper,cùm greges bibiſsent, nec antè detrudi, quàm oues omnes cõueniſſent. Paſtores autem rogare cœpit, vnde eſsent: cùm reſpondiſsent, Haran,quæſiuiſsetq́; num Laban noſsent Nachor filiũ: ſe noſse eumq́; valere reſponderunt, atq; Rachel eius filiã cũ grege ſuo venire.Non dum finem colloquendi fecerant,cùm Rachel cum ouibus patris ſui quas paſcebat, interuenit. Iacob qui eam conſobrinã ſuã eſse ſciret, lapidẽ primùm uoluit, vt gregi potum daret, deinde eam oſculatus eſt cũ lachrymis, tum ſe patris illius fratrẽ eſse, Rebeccæq́; filium indicauit. Illa domum properauit patri nunciatum,veniſse Iacob Rebeccæ filium: quod cũ Laban audiuiſſet, non expectauit, dum domum ſororis ſuæ filius veniſset, ſed ei obuiam prodijt,

dijt, eumq; complexus & osculatus, domũ suam duxit. Ac primùm quì parentes valerent, quidq; gererent rogauit, deinde quæ eum res eò ad se abduxisset. Cognitis causis itineris, os suum illum esse, atq; carnem respondit. Tricesimo die cum eũ sibi gratuitò seruire passurum se esse negasset, etiã si sororis esset filius, quam mercedem accipere vellet, rogat. Erant ei filię duæ, maior natu Lia lippis erat oculis: minor Rachel nomine, honesta elegantiq; facie prædita. Eam cum Iacob diligeret, se Laban pro Rachel septẽ annos in famulatu fore promisit. Accepta conditione cum septem annos serui munus officium executus esset Iacob, tanta animi alacritate, vt pauci illi septem anni præ amoris magnitudine viderentur, tamen promisis minimè stetit. Nam cùm Iacob petente vt Rachel sibi ex pacto vxorem daret, simulataq; voluntate ille conuiuio multos amicos adhibuisset: omnibus ritè perfectis quæ nuptiarum iura & fœdera postulant, noctu pro Rachel Liam supposuit in lecto, quam cum manè Iacob vidisset, socerũ grauiter obiurgat, quòd sibi verba, supposita Lia, dedisset. Laban non est alia excusatione vsus, cur hoc fecis-

fecisset, nisi quòd patri⁹ mos ferret, vt maiores natu priore loco nuptui traderent. Itaq; si vellet, ei octauo die pòst Rachel quóq; vxorem licitum esse ducere, dum modò alijs septem annis in suo famulatu esset. Placuit Iacob conditio, octauoq́; die pòst Rachel accepit vxorem, cui pater Balam seruam tradidit. Ipse Rachel potitus optatis nuptijs, Liæ antetulit: quod cùm Deus vidisset, Liam contemptam, Rachel anteposita, fœcunditatem ei illa sterili permanente dedit. Ea autem cùm cõceptum partum edidisset, Ruben appellauit: alterũ etiam postea cum genuisset, Simeonem vocauit, tertium prętereà & quartum, Leui atq; Iudam nuncupauit. Tum Rachel quæ sterilem se animaduerteret, inuidit sorori suæ, viroque denuntiauit, nisi sibi liberos daret, se breui esse morituram. Cùm Iacob se Deum esse, qui eam liberis priuauisset, negaret, habere se illa Balam famulam dixit, cũ ea cõgrederetur, vt pareret ex eaq; liberos susciperet. Illa cũ permissu dominæ ducta esset uxor, ex Iacob concepit, peperitq́; filium, quẽ Rachel Dan uocauit. Alterum etiam cùm Bala peperisset, Nepthalim domina illius nomen imposuit. Hinc

Lia quæ ſe concipere ac parere poſſe diffideret, ancillã Zelpham nomine viro vxorem dedit: ex quo cũ cõcepiſſet, filio Gad nomen dedit: Alterũ cùm peperiſſet, Aſer nuncupauit. Quintum quoq; Lia cùm poſtea peperiſſet, Iſſachar nomẽ ei impoſuit. Sextũ cum peperiſſet, Zabulon vocauit, poſtremò etiã filiam Dinam nomine. Rachel etiã ipſa tandẽ aliquando Dei benignitate concepit filiũ, quem Ioſeph nuncupauit. Cum vndecim liberos filiamq́; vnã Iacob ex vxoribus quatuor ſuſcepiſſet, egit cum ſocero vt ſibi per eum vnà cũ vxoribus ac liberis redire in patriam liceret. Laban autẽ, qui ſciret quàm auctæ opes ſuæ omnes eſſent, ex quo Iacob veniſſet, eũ rogare cœpit, vt ab illo iniret gratiam, mercedemq́; præſcriberet, quam ab ipſo acciperet, atq; id cũ ei expoſuiſſet, ſe expertũ eſſe, ſibi omnia Dei benignitate propter eum proſpere atq; ex animi ſententia eueniſſe. Neq; hoc Iacob diſsimulauit, imo verò præ ſe tulit, atq; expoſuit, eũ probè ſcire quantulæ ſuę res atq; opes fuerint, in primo ipſius aduentu: tum autẽ ita eaſdem creuiſse, vt qui pauca prius haberet, iã locuples eſſet. Itaq; æquum eſſe, ſe deinceps familiæ ſuæ conſulere.

ſulere. Cùm ille quæreret, quid ſibi dari vellet, nihil ſe Iacob velle dixit, foreq́; cõfirmauit, vt iterum greges ſuos paſceret, dũmodo faceret quod ipſe poſtularet: poſtulare autẽ ſe, vt cũ luſtraſſet ipſe omnes greges ſuos, cunctasq́; oues vario colore ſparſoq́; vellere præditas, ſibi quicquid varium eſſet, in mercedis loco cõcederet. De qua re quo diligẽtiùs deliberaret, eum in poſterũ diem ſententię dicendę poteſtatẽ differre voluit. Homo aũt, qui è re ſua fore conditionẽ illã exiſtimaret, id ſibi placere dixit in præſentia ꝙ peteret. Secreuit ergo eo ipſe die capras, oues, hircos & arietes varios, à reliquis, qui vno colore infecti erãt, tridui itinere. At Iacob frõdibus populeis viridibus, & amygdalinis, & platanorum ex parte corticẽ detraxit: ex quo factũ eſt, vt parte altera cãdidę, altera virides eſſent. Cumq́; greges aquatũ veniſſent, eas in canalibus collocauit, vt cum potarent oculis ſubiectas haberẽt, easq́; intuentes cõciperent varios fœtus: quę eũ minimè fefellit opinio. Varios eñ omnes conceperũt, qui primo diei tempore admittebãtur. Extremo autem conceptu frondes non demittebat. Itaq; vnius coloris omnia Laban erãt,
quæ

quæ eadem perpauca extiterunt. Sic præter modũ se collocupletauit Iacob, adeò vt multos greges, ancillas, seruos, camelos & asinos haberet. Hinc in odium incurrit & Laban, & eius liberorũ. Quod simul atq; sensit, misit qui Rachel & Liam vxores in agrũ ad se accerserent. Eis cùm venissent, exponit, se Labã in se animũ à triduo immutatũ animaduertere: Deũ patris sui sibi non defuisse: eas probè scire, omnem à se diligentiam adhibitã esse ijs in rebus procurandis, quæ ipsius fidei creditæ fuissent: & tamẽ se à patre ipsarũ circunuẽtum esse, quippe qui mercedem decies mutauisset: cum interea Deus illum ipsi iniuriã facere minimè passus esset. Si quãdo ille dixisset, varios fœtus ipsius esse, tum varias oues omnes parere solitas fuisse: sin contrà, albos fœtus ipsius esse voluit, peperisse candidos: hoc ita fore, sibi per quietem à Dei angelo prædictum esse, atq; imperatum, vt iam in patriam se reciperet. Vxores non modo non improbarunt viri orationem, verumetiam valde probarũt, atq; id verũ esse quod ipse de Labã patre narraret, per se expertas esse dixerũt. Itaq; licere per se ipsi, quę Deus pręcepisset, facere. Iacob qui

vxorum

vxorum animos à consilio suo alienos nõ
videret, statim vxoribus & liberis in camẽ
los impositis, cũ omnibus quæ in Mesopo
tamia quæsierat, abeundũ sibi censet: idq́;
se tum percommodè facere posse sperat.
Laban eñ se tum ad tondẽdas oues contu
lerat. Iam amne traiecto Galad mõti appro
pinquabat, cùm tertio die quàm discessis-
set, Labã nũtiatur Iacob fugere. Ille adhibi
tis fratribus eũ persequi cœpit, ac septimo
demum die eũ in monte assequitur. Eius
autem animos repressit Deus, qui eum in
somno monuit, ne quid asperius in Iacob
diceret. Iacob iã in mõte tabernaculũ fixe
rat, cũ Laban eũ assecutus est. Ibi Iacob ob
iurgat, quòd se inscio, pene gladio filias
suas quasi captiuas, abegisset, cur ipse illo
suo consilio officium eũ & illas cũ lætitia,
cum cantionibus, tympanis & citharis pro
sequendi impediuisset? cur sibi tempus in
oscula filiarũ ruendi non dedisset? Stultũ
& imperitũ omnis humanitatis illũ se præ
stitisse, quam quidẽ iniuriam facilè vlcisci
posset, nisi Deus quem pater eius coleret,
monuisset, ne quid durius in ipsum dice-
ret. Vt faceret, desiderio suorum illum te-
neri, tamen ne Deos suos illũ furari opor-

tuiſse? Rachel autẽ Deos patris ſui clam vi
ro abſtulerat,nõ Iacob.Itaq; ad hęc ille reſ
pondet,ſe inſcio illo,abijſse, quòd vereretur
ne vi filias ſuas retineret. Quod autẽ furti
ipſum argueret,nõ recuſare ſe,quò minùs
is apud quẽ inuenirentur,in cõſpectu fra-
trum necetur. Scrutaretur ſanè, & ſi quid
ſuũ inuenire poſſet,auferret. Scrutari pri-
mùm cœpit ille tum Iacob,Liæ & vtriuſq;
ancillæ tabernacula: deinde Rachel taber
naculum,quò ſimul atq; ingreſſus eſt,Ra-
chel Deos, id eſt ſimulacra Deorum patris
ſui,celeriter ſub cameli ſtramentis occul-
tauit, atq; in eis ſedẽs,ſcrutantẽ patrem to
tum tabernaculum & nihil inuenientẽ ro-
gauit,ne ſuccenſeret ſibi,quòd ei aſſurge-
re per morbũ,qui mulieribus incidere ſo-
leret,minimè poſset. Sic eluſa cura & dili-
gentia quærẽtis eſt. At Iacob qui furti, vt
dixi,&totius rei ignarus eſset,datã ſibi cõ
querendi facultatẽ ratus,quęrere à Laban
cœpit,quod ob meritũ ſuũ ſic in ipſum ex
arſiſset,vt omnẽ ſuã ſuppellectilẽ ſcrutare
tur? ſi quid ſuum inueniſset, in conſpectũ
fratrum proferret,vt inter vtrunq; iudica-
rẽt.Itane verò viginti annos apud eũ ſerui
locum obtinuiſset,ſi quid à beſtia captum
fuiſset,

fuiſset de grege, damnum ipſe reſarſiſset, ac ſibi deputaſset,quicquid furto ablatum fuiſset, à ſe exegiſset, & interdiu noctuq; æſtu oppreſsus fuiſset,frigoreq; obriguiſſet ſine ſomno, cũ intereà mercedẽ ipſius decies immutaſset,vt poſt tot damna quæ accepiſset, tot labores, pericula & mala quæ pertuliſset, furti ipſum argueret atq; nudũ penè dimitteret,niſi DEUS,qui illum pridie coarguiſset,ipſi miſero &calamitoſo ſubueniſset? Labã hoc loco omnia quæ Iacob cerneret,filias,earumq; filios,& greges eiuſdem,ſua eſse cum diceret, ex eoq; negaret filijs ac nepotibus quicquã ſe poſſe facere,eũ rogauit,vt fœd⁹ inter ſe inirẽt. Inierũtfœd⁹ in mõte,qui ex eo poſtea Galad,id eſt tumulus,ſiue aceruus teſtis, ſiue teſtimonij, nominatus eſt. Fœderis autẽ, quod iureiurando vtriuſq; ſancitũ eſt,hęc fuit ſententia: Iacob filijs Laban nũquam mala daturũ eſse,eiſq; repudiatis, aut retẽtis,alias præterea vxores nõ eſse ducturũ: neutrum eorum vnquam mali cauſa montem illũ,quem teſtem eſse vellent, præteriturum. Ac Iacob quidem fœdere in hæc verba expreſso & ſancito, immolatis hoſtijs in mõte omnib⁹ cœnã dedit:Labã au-

tem noctu surgens cùm liberis suis oscu-
la tulisset, ac bene precatus esset, domum
rediјt. Tum Iacob iter quod susceperat cõ
ficere cœpit. In via angeli duo ei facti sunt
obuiam, quos cùm vidisset, castra Dei illa
esse dixit, ex eoq́; locũ illum Mahanaim, id
est castra, lingua patria nominauit: præmi-
sit aũt de via legatos in Seir, quæ pars est
Edom, ad Esau fratrem, cum his verbis &
mãdatis: Se apud Laban peregrini more ac
ritu ad illũ diem vixisse: sibi esse boues, asi
nos, oues, seruos & ancillas: hoc rogare, vt
ab eo ineat gratiam. Legati cùm obiјssent
munus legationis, redeuntes Iacob Esau
fratrem cum quadringentis viris venire
obuiam nuntiauerunt. Ille hoc nũtio per-
territus, suos, oues, boues, camelos & asi-
nos in duo agmina diuisit. Hoc enim cogi
tauit, si in vnũ agmen Esau impetũ faceret,
saluum & incolume fore alterũ. Quæ cùm
perfecisset, Deum rogare cœpit, vt qui pol
licitus esset, si in patriã reuerteretur, fore,
vt bonis ipsum afficeret, se ex manu & po-
testate Esau, quem vehementer metueret,
eriperet, ne aduentu suo matrem cum libe
ris interficeret. Sibi quidẽ satis cõpertum
esse, indignũ se esse omnibus illius in ip-
sum be-

ſum beneficijs,ſed tamen ipſe,qui tot tantisq́; bonis eum affecturum ſe eſſe promiſiſset,vt ipſius poſteros arenæ maris inſtar augeret,ſibi miſero rebus dubijs ſubueniret, præſertim cùm duabus turmis auctus rediret. Cum his verbis nocte illa ſomnũ cœpit:prima luce ſeiũxit ea omnia,quę Eſau muneri placãdi eius animi cauſa mittẽda cẽſuit,capras ducẽtas,hircos viginti, oues ducentas,arietes viginti,camelos cum pullis ſuis triginta,vaccas quadagrinta,tauros viginti,aſinas viginti& pullos earũ decẽ.Hęc omnia per ſeruos ita miſit, vt ſingulos ſeorſum greges certis interuallis diſiũctos duci iuberet: eisq́; imperauit qui greges ſequebãtur,vt ſi Eſau,cuius ipſi eſſent, aut quonam irent,vel cuius eſſent,quæ ſequerẽtur, rogaret, Iacob ſerui ipſi⁹ ſe eſse qui ei domino ſuo illa oĩa muneri mitteret,quiq́; ſequeretur,reſpõderent:hoc eñ illum cogitaſſe,animum ipſius muneribus quæ mitteret,ſe placaturum eſse, tumq́ue illum viſurum:ſic enim illum fortaſse ipſi propitium fore. Præmiſsis ſeruis cum muneribus,ipſe nocte illa in caſtris remanſit. Mane vadũ Iaboch cũ vxoribus duabus totidẽq́; ancillis & vndecim liberis traiecit.

Transportatis suis omnibus, ipse solus mã serat, cùm vir cũ eo ad primã lucẽ vsq; luctatus est. Is cum Iacob vincere se non posse animaduerteret, femoris eius neruum tetigit, quo ictu statim emarcuit, ita vt claudicaret. Itaque statim cum eo egit, vt omitteret, quòd iam lucesceret. Cùm omissurum eũ se negaret, nisi ante sibi benediceret, ei benedixit, imperauitq́; ne deinceps Iacob, sed Israel, diceretur. Si enim in Deũ virũ fortemq́; se pręstitisset, quãto magis hominibus superior esset futurus? Cùm ex ea lucta se collegisset Iacob, & Deũ à se visum dixit, & ex eo animũ suum seruatũ esse dixit. Cum ex eo loco aciẽ oculorũ intendisset, Esau venientẽ animaduertit cũ quadringẽtis viris. Hinc sibi suos in tria agmina diuidendos ita cẽsuit, vt vtranq; ancillam cum earum liberis in principijs, Lian eiusq́; liberos secũdo loco, Rachel ac Ioseph extremos collocaret. Ipse pręgressus, septies se humi deiecit, & venerat' est, quoad Esau appropinquaret. Quod ab illo fieri Esau animaduertisset, fratri cucurrit obuiam, eum complexus est primùm, deinde collum eius astringens, & in oscula ruens, fleuit. Idem erectis oculis

cum agmina mulierum earumq; liberos vidisset, rogauit quid sibi illi vellent, & num illius essent, ac cuius essēt turmæ, quę ipsi factæ fuissent obuiam. Paruulos esse respondit, quos ipsi illius seruo Deus dedisset: turmas autem illas ei se muneri misisse, vt cũ ipso in gratiã rediret. Se Esau pluribus abundare dixerat, & ipsum sibi sua retinere iusserat, cùm eum Iacob vehemēter, etiam atq; etiã rogare & obtestari cœpit, vt si quid apud eum gratia valeret, munusculum à se acciperet. Se enim nõ aliter os eius, atq; os Dei intueri. Itaq; orare se, vt sibi propiti⁹ esset, & munera, quę à DEO accepta attulisset, acciperet. Esau cùm vix tandē aliquãdo à fratre coactus dona accepisset, rogabat, vt vnà iter facerēt, sed Iacob id sibi non licere dixit per pueros & greges, à quibus abesse sine summo periculo nõ posset. Proinde ab eo petiuit, vt antecederet, seq; eũ pedetētim secuturũ cũ pueris pollicitus est, dũ ad illũ in Seir perueniret: nec orantē, vt nonnullis ex suis se cũ esse pateretur, audiuit, cùm id minimè opus esse dixisset, idq; vnũ rogasset, vt ab ipso gratiã iniret. cùm antecessisset Esau, ipse in locũ qui postea Sochot, id est taber

nacula, ab eo dictus est, ex eo quòd ibi tabernacula fixisset: venit, atque non procul ab oppido Sichimorum quod tum Salem, pòst Hierosolyma appellatum est, habitauit. Ibi cum emisset centum agnis partem agri, in quo eum fixisse tabernacula, paulò antè docui, ab Emor Sichẽ patris filijs, ædificata ara, Deum Israelis coluit. Deus Iacob nec ita multò pòst præcepit, ut Bethel proficisceretur, ibiq; habitaret, aramq; poneret Deo, qui ei cùm fratris conspectũ fugeret, apparuisset. Ipse conuocata omni familia sua, omnibus imperauit, vt abiectis repudiatisq; Dijs alienis, expiati vestibus mutatis Bethel venirent: aramq; Deo ędificarẽt, qui ipsum ex periculis malisq; omnibus eripuisset. Cùm illi Deos suos, atq; inaures quæ in ipsorum auribus essent, dedissent, ipse eas sub terebintho, quę haud procul ab vrbe aberat, defodit. Cum profecti essent, omnes locorũ incolę terrore diuino perculsi, eos abeuntes non sunt ausi persequi. Luzam cũ venissent, Iacob imperata sibi à Deo fecit. Vere cũ Ephrathan, quę vrbs pòst Bethleem dicta est, venisset, Rachel alterum filium maximo cũ dolore peperit, quem ex eo Benoni, Iacob Beniamin, id

min,id est filium dextræ,nũcupauit. Ibi in via quæ in eam vrbem fert,Rachel cũ mortua esset,sepulta est, eiq́; vir sepulchrũ excitandum curauit. Venit etiã Iacob Mambram Arbeæ ciuitatem ad Isaac patrem,cuius aduentus & aspectus,eiusq́; vxorum & liberorum,non est dubium,quin maxima illũ lætitia affecerit. Res pòst accidit eiusmodi,quę primò maximum ei dolorẽ,deinde tandem aliquando maximã voluptatem attulit. Ioseph,quem vnum ex omnibus liberis charissimum habebat, propterea quòd illum senex genuisset, in fratrũ odium incurrit,somniorum, quæ visa à se eis narrauit,causa & nomine.Itaq; cum sedecim annos natus,à patre, vt qd in agris fratres agerent (greges autem pascebant) videret, missus esset,illi tempus explendæ inuidiæ venisse rati, interficiendũ esse censent,præter vnũ Ruben,qui eum liberandi causa in cisternam quandam demittendum esse dixit.Ac Ruben quidẽ valuit sententia. Eum autem Ismahelis posteris,qui paulò pòst illac iter fecerũt,viginti argenteis vendiderunt,inscio Ruben.Ismahelitani eum in Aegyptũ ducentes,Phutiphar Pharaonis Regis Spadoni,exercitusq́;eius

præfecto ac duci vendiderunt. Fratres autem communi cõsensu vestem eius in hœdi, quem ad eam rem mactauerant, sanguine eo consilio tinxerunt, vt vestem cruore fœdatam ad patrem mittentes, se illá inuenisse nũtiarẽt, quæ vtrũ Ioseph necne esset, videret. Eam Iacob cum vidisset, statim agnouit, dixitq́; Ioseph filium à fera pessima esse deuoratum: scissisq́; & laceratis vestibus, cilicio amictus eũ diu luxit. Tanta autẽ ea vis doloris mœrorisq́; fuit, vt cùm reliqui fratres patris consolandi causa conuenissent, eũ nulla ex parte lenire atq; abstergere potuerint. Quid autem eundem etiam auxerit, sequitur vt dicam: tũ id exponam, quod cum doloris amotione maximam ei attulit voluptatem. Phutiphar is quem paulò antè dixi, emptũ Ioseph, cùm eius ingeniũ, mores virtutesq́; perspexisset, familiæ suę præposuit: eamq́; ille tanta prudentia Dei benignitate gubernauit, vt præter modum opes domini omnes ac facultates auctę sint, ex quo plurimũ apud illum gratia valere cœpit. Cùm autem castimoniam cum forma coniunctam haberet, Phutiphar vxor, cuius libidini fœdoq́ue amori ille parere ac seruire noluisset, viro redeun-

redeunti pallium Iofeph, quod ipfe, ne vi obfcœno amori daret operam, tenenti illi reliquifset, oftẽdit, quafi ftupri, quod ille offerre voluiffet, documẽtum. Phutiphar credulus, eum ftatim indicta caufa in carcerem coniecit. Ibi cum pincerna & piftor Pharaonis, qui eò coniecti poftea fuerunt, fomnia vidiffent, quę eorum animos angerent, Iofeph re cognita, eorũ ita interpres fuit, vt rem euentus comprobaret. Eorum autem alterum rogauit, vt cum ad munus priftinũ accitu Pharaonis rediiffet, domino fuggereret, quã iniquè in coftodiã traditus fuiffet. Quod ille pollicitus, nõ antè præftitit, quàm Pharao fomnijs fuis vehemẽter perterritus, cùm ad cõiectores ea retuliffet, qui interpretari nõ poffent, admonuit, vt Iofeph ei in mentẽ veniret. Eius enĩ monitu tũ demũ impulfus Pharao, illũ ex carcere eductũ adhibuit interpretẽ, à quo cũ didiciffet fomnia fua, quę vbertas feptẽ annis, quę item fterilitas & annonę caritas alijs feptem annis infequentibus futura effet, portendere, eius fapienti confilio parens, feptem prioribus annis tantam vim tritici collegit, vt annis alijs feptẽ, in quib' fame pene vniuerfus orbis terrę oppreffus fuit,

fuit,omnes in Aegyptũ emendi tritici cau
ſa,vel ire vel mittere ſint coacti.Itaq; cum
Iacob annonã deeſſe ſibi ac ſuis cerneret,
in Aegyptum decem liberos emendi cauſa
miſit,vno Beniamin domi retẽto, ne quid
ei mali in via accideret.Ioſeph autẽ ſecun-
dum Regem illius iuſſu poterat plurimũ
in Aegypto,eiusq́; auctoritatę res frumen
taria adminiſtrabatur.Ne longum faciam,
fratres eius decẽ veniunt; eos ſtatim agno
ſcit,nec ab eis agnoſcitur:ſpeculatores eos
eſſe dicit,quod illi ita purgarunt, vt duo-
decim fuiſſe fratres ſe dicerẽt,quorũ vnus
non ſupereſſet, minimus natu cum patre
ſene remanſiſſet. Ille eos ſpeculatores ſe
nõ eſſe probaturos negat,niſi frater mini-
mus natu veniſſet. Itaq; eos primùm in cu
ſtodiam tradit,deinde tertio die eis præce
pit,vt frumenta quæ emerant, ad patrẽ fer
rent omnes præter vnum, quem uinctum
retineret, dum minimũ illum natu addu-
cerent, vt an vera eſſet eorum oratio pro-
baret. Ibi patrio ſermone quem à Ioſeph
minimè intelligi arbitrarẽtur, inter ſe alij
alijs dicere, iure ac meritò hæc ſibi tanta
mala euenire,quòd fratris rogantis mini-
mè miſerti eſſent: quinetiã Rubẽn, is qui
illum

illum eripere, quemadmodum paulò antè dictum est, voluerat, illius sanguinem requiri dixit, quòd in eum contra voluntatẽ cõsiliumq; suum peccassent. Ioseph; quem quòd per interpretem eos alloqueretur, verba sua intelligere nõ putabant, paulum inde se subducẽs, flere cœpit: reuersus saccos tritico compleri cum argento eorũ iubet. Abeunt, rem omnẽ patri narrant, apertis saccis pecunia vnà cum frumẽtò effunditur. Iacob, quod Simeon remansisset, Ioseph mortuus esset, Beniamin peteretur; se liberis omnibus ab illis orbari queritur: primoq; Beniamin se daturum negat, eosq; augẽdæ miseriæ suæ causa Beniamin filium indicasse dicit: deinde cum Iudas se ac fratres reuerti sine eo non audere docuisset; seq; præstaturum si quid fraudis inesset, spõpondisset, duci eũ passus est: præcepitq; liberis vt munera viro deferrent, & duplicem pecuniam, cum Deum suum precatus esset, vt virum placatum ac propitium eis redderet, ita vt vnà cũ eis & eum quem in vinculis haberet, & Beniamin ipsum remitteret: se interea vt liberis omnibus orbum futurum. Ioseph cum eos vidisset vnà cum Beniamin, procuratori imperat,

perat,vt eos domũ introducat,cõuiuiumq́ue inſtruat,quod meridie illos ſecum vellet accumbere,adhiberiq́; cõuiuio. Domũ cum intromiſsi fuiſſent, perterriti vltro citroq́; alij alijs dicere cœperunt, ſe ob pecuniam,quam ſuperiore profectione ſua reportaſsent,in ſaccis ſuis, introductos eſſe, vt calumnia fraudeq́; patefacta,ſibi ſeruos ſubijceret. Itaq; re procuratori ita patefacta,vt ſalua ſua fide &conſcientia totum factum eſſe dicerent, procurator ipſe id Dei benignitate factũ eſſe ait, atq; vt bono animo eſſent,metũq́; ponerent,monet,quòd pecuniã vniuerſam haberet. Meridie cùm Ioſeph veniſſet,educto iá Simeon, omnes ei ſupplices munera deferunt.Eos cùm viciſsim ſalutaſſet ,interrogat, valeretne pater eorum ſenex: cùm eum valere ac viuere reſpondiſſent,Beniamin cognito,rògat num is eſset puer, quem dixiſſent,cùm eſſe reſpondiſſent , ac precatus eſſet, vt eius Deus miſereretur,iam lachrymas cohibere præ animi permotione non poterat. Itaq́; in cubiculum celeriter introit, ibiq́; oborti lachrymis flere cœpit. Inde quamprimũ,cũ ſe collegiſset,ad fratres redit : cùm vnà pranſi eſſent,Ioſeph procuratori præcepit,

cepit, vt impleret ſaccos omnium frumento, atq; in ore pecuniã ſingulorum, in ore verò ſacci minimi natu cyphum ſuum argenteum præterea poneret. Prima luce ingreſsi iter fratres vndecim, iam paulum progreſsi erant, cùm Ioſeph procuratorem mittit, qui cyphum argenteum ſurreptũ diceret, cum illi non recuſare ſe dicerẽt, quominus is qui furtũ feciſſe deprehẽderetur, interficeretur: reliqui autẽ ſerui domini ſui eſsẽt, procurator eorũ probata ſẽtẽtia & cõditione, ita duntaxat vt ſeruus ipſius eſset, qui furtũ feciſse coargueretur, nec fraudi eſſet cœteris, in ſacco Beniamin cyphũ reperit. Omnes tum mirari, lamẽtari, deplorare fortunam ſuam: Iudas vadẽ ſe pro Beniamin prꝗſtat, cũ longo ſermone Ioſeph expoſuiſſet, quid ſeni patri pollicitus eſſet. Ioſeph tũ deniq; eũ ſe eſse quẽ vẽdidiſsẽt, profitetur: perterritos confirmat, cũ ſalutis eorũ cauſa ſe illuc à Deo miſsum eſse dixiſset. Quinquenniũ docet reliquũ eſse ſterilitatis ac famis, quꝗ orbem terræ oppreſsiſset. Itaque maxima cũ celeritate ad Iacob patrẽ reuertentes, ei nuntiarent, Ioſeph filium qui in vniuerſa Aegypto ſecundũ Pharaonem Regem pluri-

plurimum poſſet, illum monere, hortari, & rogare, vt ſine mora ad ſe proficiſceretur, vt in Geſſen habitaret ipſe, liberi, ac nepotes vnà cũ armentis, gregibus & omnibus quæ poſsideret. Ibi enim ipſum ea omnia quæ ad victũ pertinerent, ijs quinque annis qui ſupereſſent, ſuppeditaturũ. Pharao etiam cum Ioſeph fratres veniſſe accepiſſet, vehemẽter lætatus eſt, omnisq; eius comitatus: deditq; Ioſeph negotium, vt fratribus ſuis imperaret, vt patrem omnemq; eius cognationẽ aducherẽt. Quod quò cõmodius fieret, plauſtra eis dari iuſſit, ſingulisq; binas tunicàs cũ viatico pręberi, præterquàm Beniamin, cui trecentos argenteos cum quinq; ſtolis erogari, & tantundem mitti Iacob voluit. Cùm hæc omnia liberi Iacob patri de Ioſeph vita & principatu expoſuiſſent, quanquam primò nõ credidit, tamẽ tandem aliquando cũ plauſtra vidiſſet, quæq; miſiſſet omnia, ſpiritus eius reuixit, dixitq; ſibi ſatis eſſe quod vixiſſet, ſi Ioſeph filius viueret. Se enim eum viſurum eſſe ante mortem, vt in eo acquieſceret. Profectus eſt paulò pòſt Iacob cũ ſuis omnibus, ac primùm ad puteum qui iuriſiurandi puteus à iureiurando dictus eſt,

eſt,venit. Ibi immolatis Deo hoſtijs,noctu ab illo per quieté bis nomine appellatus, monetur,vt in Aegyptum ire minimè dubitet, quòd ipſe illi nullo loco eſſet defuturus.Hoc oraculo diuino cõfirmatus,ſuſceptũ iter meliore animo maioreq́; ſtudio ingreditur. Quinq; auté & ſeptuaginta eũ ſiue ſecuti ſunt,ſiue deduxerunt.Cũ haud procul à Geſſen abeſſet, præmiſit Iudam, qui Ioſeph nuntiaret,ſe ac ſuos omnes venire. Ioſeph cõſcenſo curru,eò magnis itineribus cõtendit,vt patri fieret obuiã. Eũ cũ videret, in collũ illius ruit, cõplexusq́; eum fleuit. At pater lætum ſe iam moriturum eſſe dixit,quòd eum vidiſſet,ſuperſtitemq́; relicturus eſſet. Hinc Ioſeph quinque fratres extremos,primùm ad Regem, cum docuiſſet quibus verbis vterẽtur adduxit,deinde Iacob patrem. Is cùm rogatus eſſet à Rege,quot annos eſſet natus,cétum & triginta annos dies peregrinationis vitæ ſuæ eſſe reſpondit, exiguos ac malos,qui tamé ad dies patrũ ipſius minimè perueniſſent. Attributus eſt auté iuſſu Regis ei atq; familię ager Rameſsinus in Geſſen,ibiq́; cum ſuis decem & ſeptem annos vixit, cum interea res eius familiaris adeò

creuit, vt locupletiſsimus & eſſet & haberetur. Annos verò natus centum quadraginta ſeptem, cum mortẽ appropinquare intelligeret, ad ſe Ioſeph vocans, eum iure iurando adegit, ſe curaturum, vt in ſepulchro maiorum cõderetur. Cum ægrotare eundem Ioſeph audiſſet, ad eum venit vnà cum duobus liberis Manaſſe & Ephraim. Eos ſenex primùm cõplexus & oſculatus eſt, deinde adoptauit, cum Ioſeph dixiſſet, ſi quos poſteà genuiſſet, eos illius fore liberos: poſtremò eis bene precatus eſt. Sed cum Ioſeph ita vtrunq; exhibuiſſet, vt Manaſſe, qui maior erat natu, ad illius dextrã, Ephraim ad ſiniſtram collocaret, vt dextrã Manaſſe, Ephraim capiti ſiniſtram imponeret, manuum commutatione filium fefellit. Quòd cùm acerbè ferret, ob eamq́; cauſam patrem moneret, ſecus eſſe faciendum, quòd eſſet maior natu Manaſſe, ſe id probè ſcire reſpondit, ſed illud ſe facere, quòd minor natu futurus eſſet maior ac potẽtior. Idem nec ita multò pòſt, liberos omnes qui erant duodecim numero, cõuocauit: idq́; eò ſe facere dixit, vt eis res futuras multò antè exponeret. Cùm conueniſſent, ſingillatim quid cuiq; & eius poſteris euentu-

euenturum esset, ducto à Ruben maximo natu exordio, explicauit. Mortuum paulò pòst Pharaonis concessu Ioseph cum fratribus sepulturæ causa in Chananæorum regionem magno nobilium Aegyptiorū comitatu deduxit. Ibi cū odoribus perfusum in ea spelūca, in qua Isaac & Abraham sepulti erant, condiderunt.

IVDAE PATRIARCHAE Vita.


Vdas à quo Iudæi dicti sunt, Iacob patre & Lia matre natus est. Eum hoc nomine Lia mater appellauit, quòd cùm illum quartum peperisset, Deo se iam confessuram, id est laudem tributuram esse dixit. Iudas enim Hebraico sermone confessio, id est laus dicitur. Hic cū Ioseph frater, de quo mox dicemus, somniorū causa & nomine, fratrum vndecim inuidiam sibi conflasset tantam, vt in agro cum ab eis arreptus & cōprehensus fuisset, de eius morte cogitarent, pręter Ruben, qui eius seruādi causa cōsilium dedit fratribus, vt illum in cisternam veterem deijcerent: hic inquam Iudas auctor paulò pòst eisdē fuit, vt illū

inde extractum, Ismahelitanis uenderent, cũ dixisset, nihil se ac fratres vtilitatis percepturos esse, si Ioseph, qui frater & caro esset omniũ, celata morte interemissent. Itaq; eius consilium cæteri secuti, illum vi ginti argenteis vendiderũt. Eidem Iacob pater moriens, cum duodecim filios bene precandi causa & prædicendi, quæ eis eorumq; posteris euentura erant, conuocasset, diuino numine afflatus, prædixit fore, vt ex illo potissimum, non ex alijs liberis Christus nasceretur. Eodem ferè tempore cũ Ioseph venditus est à fratribus, relictis cęteris, Iudas ad virum Odollamitanũ Hiram nomine diuertit, quo in loco cũ Chananęi cuiusdam filiam, cui Suæ nomẽ erat, vidisset, eam vxorẽ accepit. Ex ea liberos tres suscepit, quorum maximũ natu Her, alterum Onan, tertium Selam vocauit. Maximo natu filio Thamar dedit vxorẽ, cum adoleuisset. Is cũ scelerate viueret, nec ita multò pòst sine liberis supplicij causa excessit è vita. Itaq; Iudas Onan filium monuit, vt cum Thamar fratris sui vxore con grederetur, fratriq; semen excitaret, id est liberos procrearet. Ille, qui sibi liberos nõ nasci intelligeret, cum liberis operam dedisset,

diſset,ſemẽ effundebat,ne fratris nomine liberi naſcerẽtur: quod ita Deo ingratum & inuiſum facinus fuit,vt eius nomine nõ ita multò pòſt ſupplicij cauſa interiret.Iudas qui hoc intelligeret, Onan filio mortuo Thamar nurum monere cœpit, vt vidua domi paternę maneret,quoad Sela minimus natu filius adoleuiſset,eiusq; monitis illa paruit.Intereà Sua Iudæ vxor mortua eſt,quam cũ ille luxiſſet, mœrore tandẽ aliquando liberatus animi laxandi cauſa ad oues tondendas profectus eſt. Hoc cum Thamar reſciuiſset, poſitis veſtibus quibus viduas amiciri mos erat,veſtẽ æſtiuam ſumpſit, itaque mutata veſte in biuio quod Thamnam ferebat (id enim loco nomen erat) ſedit, propterea quòd Sela creuiſset, nec eum maritum ex pacto acciperet.Iudas qui ſcortum eſſe exiſtimaret,(os em̃ operuerat,ne agnoſceretur,) ſe ei hœdum miſſurum eſſe promiſit pro concubitu,quã illa conditionem oppigneratis pro hœdo annulo, armilla & ſcipione accepit: eoq; vno concubitu ex illo grauidata eſt. Domũ ſimulatq; Iudas peruenit, miſit hœdum per paſtorem, qui pignus reciperet. Is non inuenta muliere,cum diligenter ac

ſtudioſe ab hominibus loci illius, quæſiſſet vbi mulier eſſet, quæ paulò antè in biuio illo ſtetiſſet, redijt ad dominũ nuntiatum quid ex loci hominibus comperiſſet. Tũ Iudas, Habeat, inquit, ſibi pignus, certè mendacij arguere me non poterit. Ecce autem exactis menſibus tribus nuntiatur Iudæ conſtupratam eſſe Thamar nurum, eiusq́; vterum intumeſcere. Erat iam tum in more poſitum, vt quę ſtuprum admiſiſſet, ſupplicio afficeretur. Itaq; præcipit, vt producatur, & exuratur. Cùm ad pœnam duceretur, miſit qui ſocero diceret, videret ipſe cuius annul᾽, armilla & ſcipio quæ mitteret, eſſent, ex eo enim ſe eſſe grauidá. Ille agnitis muneribus, eam ſe meliorẽ & æquiorem eſſe profeſſus eſt, quòd illam Selę filio ſuo, ſicuti promiſerat, nuptui nõ tradidiſſet. Se tamen ab ea poſtea ſemper quandiu in vita manſit, abſtinuit. Inſtante autẽ partu, gemini in vtero apparuerunt, cumq́; in ipſa effuſione vnus manũ protuliſſet, obſtetrix coccinum in ea ligauit, cũ eum priorẽ proditurũ ſuſpicaretur. At illo manũ retrahente, alter prodijt, cui mulier obiecit, propter eum diuiſam eſſe maceriem, ob eamq́; cauſam Phares eum vocauit.

Secutus

Secutus eſt poſtea alter,in cuius manu coc cinum erat,eumq; Zaram appellauit.

IOSEPH PATRIARCHAE Vita.

Oſeph Iacob patre, Rachel matre natus eſt. Eum pater cæteris liberis chariorem habuit, quòd illum ſenex generauiſſet, ob eamq́ue cauſam in fratrum odium incurrit tantum, vt nullum ſermonem cum eo niſi irato animo habere poſſent. Et quanquam tanti illorum odij cauſa, non ſolum amoris paterni præſtantia fuit,ſed etiam crimen maximum, quo eos apud patrem ſedecim annos natus accuſauit: tamen ſomnia quæ vidit, tanti odij ſeminarium fuerunt, vt de eius etiã morte cogitauerint. Quæ omnia quomodo geſta ſint,exponendum cenſui. Duo quidem vidit ſomnia, quorum prius fratribꝰ narrauit his ferè verbis: Videbar, inquit,videre nos ligãtes in agro manipulos, meumq; manipulum quaſi attollẽtem ſe & erigentem ac ſtantem,veſtros autẽ circunſtantes,& adorãtes meum. Quod cùm expoſuiſſet, fratres concitati, quærere

cœperunt, num ipſe rex ipſorum futurus
eſſet,aut ditioni eius ſubijcerentur? Alterum vidit, narrauitq́; & patri & fratribus:
Viſum ſe eſſe dicebat à Sole, Luna, & ſtellis vndecim adorari: cùm narraſset,eũ pater obiurgauit,quaſi ſomnio ſuo ſignificari vellet,fore vt illum hic ipſe, mater, fratresq́; venerarentur,& adorarent. Sed tamen rem tacitus pater conſyderabat, fratres autem inuidiæ facibus inflammati in eum ferebantur, id quod res ipſa declarauit. Nam cùm non ita multò poſt in agro greges paſcerent, eiq́; pater præcepiſſet,vt viſeret,num præclarè cũ eis ageretur,omniaq́; ex ſententia euenirẽt: vt primũ eum venientẽ animaduertere & agnoſcere potuerunt, inter ſe hæc dicere & iactare cœperunt,eum qui ſomniare ſolitus eſset,venire,eum interficiendum eſſe, & in ciſternam veterem proijciendum, quem à fera deuoratum dicerent,ac tum deniq; experturum eum eſſe, quid illum ſomnia ſua ad iuuẽt. Ruben natu maximus nihil de morte cogitandum cenſuit,auctorq́; fuit,vt eũ viuum in ciſternam veterẽ deijcerent,idq́; eius conſilium eò pertinebat, vt eum ſaluum & incolumem patri redderet. Illius
conſilium

consilium secuti, cùm primum ad eos peruenit, detracta veste talari & polymita, eũ in cisternam, quæ aquam non habebat, demittunt. Iudas autem paulò post cum viatores Ismahelitanos animaduertisset, egit cum cæteris, vt ne fratrem ibi miserè perire vellent, extractumq́; potius negotiatoribus venderent. Valuit eius sententia: vigintiq́; argenteis eum Madianitanis vendiderunt, Ruben consilij huius ignaro. Itaq; cùm reuersus ad cisternam eum minimè inuenisset, maximo dolore affect⁹ est, currensq́; ad fratres scissis vestibus, Puer, inquit, non adest: ego quò me vertã, quò me cõferam? Tunicam autem sanguine hœdi quem occiderant, tinctam, perferendam ad patrem quibusdam dederunt, quam cũ ille vidisset, Ioseph tunicam dixit esse, quẽ fera deuorasset. Eumq́; sumpto cilicio diu luxit, nec redeuntes postea liberi eius dolorem lenire vlla ratione potuerunt. Madianitani autem Ioseph in Aegypto vendiderunt Phutiphar Pharaonis regis Spadoni, qui idem magister erat militũ. Sic venditus est Ioseph fratrum inuidia & scelere, nulla sua culpa. Itaq; cum Deus conseruandum tuendumq́; accepit, eiq́ue ita omnia

proſperè voluit euenire, vt apud dominũ ſuum qui hoc intelligeret, tanta gratia valuerit, quãta valere debuit is, quem rebus ſuis domeſticis ac familiaribus præponen dum cẽſuerit. Quo in munere eum ſe præſtitit, vt eius cauſa Deus illius domini opes atq; facultates tã in agris, quàm in ædibus nõ mediocriter auxerit. Nec verò in tanta domini gratia ſe, id quod ferè fit, aut inſolentius geſsit, aut petulantius, ſed modera tione animi vſus eſt, tamque continenter temperateq; vixit, quàm eum ſequens miræ continentiæ exemplum vixiſſe declarat. Erat eleganti honeſtaq; forma, qua do mina, abſente aliquando viro, capta & illecta, eum ad ſtuprũ ſolicitare & incitare cœ pit. Ille qui id nefarium, & Deo ingratum intelligeret, honeſta oratione libidinem dominæ caſtigare & vincere, dominũ ſuũ omnia quæ domi eſſent, quorũ tamen numerum ignoraret, arbitrio poteſtatiq; ſuæ tradidiſſe, præter illam vnam, quæ eius vxor eſſet. Itaq; ſibi hoc non licitum eſſe facere, quo etiam Dei offenſurus eſſet volũtatem. His quidem verbis ille quotidie mulierem à ſtupri conſuetudine deterrere conabatur: mulieris autem libido non

ſolum

ſolum non coercebatur, verùm etiam magis ac magis exardeſcebat. Itaque cùm Ioſeph aliquando ſine arbitris quippiã operis domi ageret, illa eius amore capta, apprehenſa pallij eius lacinia de concubitu agere cum illo cœperat, cum ipſe abiecto relictoq́; in manu dominæ pallio, quoniam alius euadendi locus non patebat, aufugit. Illa autem quæ hoc ipſo contemptam ſpretamq́; ſe videret, domeſticos ad ſe acceſſit, eiſq́ue exponit vim, quam vir Hebræus à viro introductus, ob ſtupri conſuetudinem ipſi inferre voluiſſet: quod quò faciliùs perſuaderet, monſtrat palliũ, quo relicto, cùm ipſa exclamaſſet, ne deprehenderetur, elapſus eſſet. Neq; hoc ſolùm, ſed in reditum viri pallium ſeruat: cùm rediјſſet, fictis lachrymis cum eiulatu, vt mos eſt mulierum, eadem viro exponit. Vir nimium credulus verbis mulieris, acerbè grauiterq́; iniuriam à ſeruo dominæ illatam ſe ferre oſtẽdit, mittitq́; quàm primùm qui comprehenſum adoleſcentem in carcerem, in quo vincti Regis erãt, conijciant. Videant nunc omnes, etiam atque etiam conſyderent, quanta pudicitiæ caſtimoniæq́ue laude Ioſeph valuerit,

qui eam nec crebris dominæ blãditijs, neq; minis expugnari passus sit, malueritque ad certum supplicium rapi, quàm eius iacturam facere. Digna profectò est, quam omnes sibi proponant ad imitandum. In carcere Deus ei, quem culpę illi affinem non esse sciret, affuit. Nam tantam gratiam statim à præfecto carceris eius benignitate inijt, vt traditis ei omnibus, qui in uinculis erãt, ipse nihil gereret, omniaq; Ioseph auctoritate fierent. Intereà accidit vt Spadones duo Regis Aegypti, quorum alter eis qui erant à poculis Regis, alter pistoribus præerat, aliquid sceleris admitterent, quo grauiter infensus Rex, illos statim in eum carcerem in quo Ioseph erat, conijci iussit. Ii cùm Ioseph traditi essent à pręfecto carceris, & aliquot iam dies intercessissent, somnia tristia viderunt. Ioseph autem cum eos solito tristiores animaduertisset, quæ nam causa esset, rogare cœpit. Respondent se vidisse somnia, quæ nemo posset interpretari. Ille Dei interpretationem esse cũ dixisset, narrare eos iubet. Præfectus pincernarum, prior suum exposuit hoc modo: Visam sibi esse vitem narrabat, in qua essent tres pampini, crescere paulatim

tim in gemmas,& post flores vuas visas maturescere, visumq; tũ in manu sua esse Pharaonis poculũ, quod postea decerptis, expressisque in illud vuis, regi ministrasset. Hoc somniũ Ioseph ita interpretatus est, vt diceret, tres propagines tres dies esse, quibus exactis in mentem Regi vẽturum esset illius officium & munus, cui ab illo præficiendus esset eodẽ dignitatis gradu, quem anteà tenuisset. Hortariq; eum cœpit, vt cũ res illos quos prædiceret, exitus habuisset, gratiam referre minimè grauaretur, suggereretq; Pharaoni se ex regione Hebręorum clam sublatum, innocentẽ coniectum esse in carcerem, quò libentius & facilius ab illo ex eo emitteretur. Præfectus pistorum, qui scitè ab illo somniũ explicatum esse videret, se etiam somniũ vidisse dixit: Visum se tria canistra farinæ capite sustinere narrabat, in eoq; quod excellissimũ esset, portare omnes cibos qui arte pistoria fierent, ex quibus aues ederent. Ipse tristem illi euentum somnium hoc significare confirmauit. Tria enim canistra tres dies significare, quibus exactis Pharao caput ei præcideret, eumq; in crucem ageret, in qua aues cadauer illius discerperent.

rent. Tertius dies venit,qui quoniam natalitius Regis erat,magnum conuiuiũ ſuis dedit, in quo cùm, vt fit, de multis rebus ſermonẽ haberet,aliud ex alio incidẽs memoriã ei magiſtri pincernarũ, piſtorumq́; renouauit:eaq́;, quemadmodũ Ioſeph prędixerat,vni ſalutaris,alteri funeſta fuit.Nã & pincernarum præfecto priſtinum honoris reſtituit locum,& piſtorum magiſtrum in crucem ſuſtulit. Nec ille beneficio accepto memoriam coniectoris tenuiſſet, niſi eum ſimilis ſomniorum cauſa monuiſſet. Pharao enim biennio pòſt vidit duo ſomnia, quæ eum vehementer, cùm experrectus eſſet,terruerunt.Itaq; omnes Aegypti coniectores atq; ſapientes quàm primùm conuocat,ad eos rem defert,ſomniaq́; exponit.Cum illi interpretari ea nõ poſſent, tum deniq; pincernarum magiſter Ioſeph memor,ne longum faciam, regi ea narrat omnia,quæ de ſomnijs eorumq́; interpretatione paulò antè expoſui. Accerſitur Ioſeph,tonſoq́; capillo, & mutata veſte, regi exhibetur. Ei Rex ſomnia ſua narrat his verbis, Viſum ſe eſſe dicebat ſtare in amnis ripa,&videre ſeptem boues opimas ex amne extãtes & emergentes,quę in cõpaſ-
cuo

tuo agro herbas virentes depaſcerẽt:ſeptẽ alias ſubito extitiſſe,quæ priores ſequerẽtur,adeò deformes & macilentas, vt nunquam tales in Aegypto vidiſſet: quæ cùm ſuperiores deuoraſſent & cõfeciſſent,nullum tamẽ ſatietatis veſtigium reliquiſsẽt. Eundẽ ſe expergefactum,cùm rurſus ſomno opreſsus eſſet, vidiſſe per quietẽ ſpicas ſeptem in culmo vno pullulaſcere plenas atq; pulcherrimas: alias quoq; ſeptem tenues &exiles percuſsasq́; ęrugine,è culmo erumpere, quæ priorum pulchritudinem confeciſſent. Hęc ſomnia cùm ad intrepretes retuliſſet, qui ea interpretaretur,fuiſſe neminẽ. Ea autẽ Ioſeph,cũ Regi Deũ oſtẽdiſſe dixiſſet,quę facturus eſſet,hoc modo interpretatus eſt. Septem boues nitidas & opimas,ſeptemq́; ſpicas plenas,quæ eandẽ vim ſomnij haberent,ſeptem annos fertilitatis portendere: ſeptem autem boues tenues & macie enectas ſpicasque ſeptem inanes, ſignificare alios ſeptem annos, in quibus tanta ſterilitas agros infeſtaret,fameſq́; homines opprimeret, vt ſuperiorũ ſeptẽ fertilitatẽ oliuione obrueret: poſterius verò quod vidiſſet, eodẽ pertinẽs,rei quã priùs prædiceret, eſſe confirmationẽ.

Itaq;

Itaq; regi auctor fuit, vt virum prudētem atq; induſtrium deligeret, Aegyptoq; præficeret, qui annonæ reiq́; frumētariæ alios in omnibus regni regiōibus præponeret, eisq́; negotium daret, vt quintam partem frugum ſeptem fertilitatis annis, qui inſtarent, in horrea cōgererent, eaq́; vis omnis frumenti Regis nutu & poteſtate ſeruaretur in vrbibus, ne fame ſeptem ſterilitatis annis homines opprimi poſſent. Placuit hoc Ioſeph conſilium & Regi, & ijs omnibus qui aderant, tantumq́; apud regem ſapientia valuit, vt eum nō ſolùm ei rei præpoſuerit, verum etiam ſecundum ſe maximam auctoritatem & poteſtatem in regno voluerit obtinere. Itaq; & annulum digito ſuo detractum in eius digitum induxit, & ſtola byſsina eum veſtiuit, & collo torquē auream circundedit, & in currum ſuum ſecundum eum impoſuit, & per præconem ſuis imperauit, vt ei genu flecterēt, eumq́; cunctæ Aegypto præpoſitum eſſe ſcirent. Mutauit etiam eius nomen, ac pro Ioſeph eum ſeruatorem mundi lingua Aegyptiaca appellauit, deditq́; ei vxorē Aſenetham Phutiphari ſacerdotis Heliopoleos filiam, ex qua antè quàm fames orta eſſet, liberos

duos

duos ſuſcepit, Manaſſe, & Ephraim. Ille autem vt primùm fertilitatem appetere ſenſit, quanta potuit diligentia cũctam Aegyptum obiuit, eaq; perfecit omnia, quantũ ſtudio, diligẽtia, vigilijs, & aſsiduitate aſſequi potuit, quæ regi facienda cenſuiſset. Exactis autem vbertatis annis, fames vniuerſum orbẽ oppreſsit tanta, vt Aegyptijs etiam panis tandẽ deeſset. Coacti igitur famis malo, Regẽ adeunt, petuntq; vt ſibi alimẽta venderet. Rex eos ad Ioſeph mittit, qui quicquid diceret facerent. Ita horreis omnibus apertis cœpit Ioſeph frumẽtum primùm Aegyptijs vendere, deinde finitimis populis, ad quos id vel ſermone Aegyptiorum vel rumore perlatum eſt. Itaq; Iacob Ioſeph pater cum id auditione accepiſſet, reliquos liberos præter Beniamin in Aegyptum miſit, qui frumentum emerent. Eò cum veniſſent, ſtatim eos Ioſeph agnouit, nec ab eis eſt agnitus. Quo quidẽ tempore clariſsimum moderationis animi in fratres, in eoſdem atq; patrem pietatis exemplum prodidit. Nam cùm vlciſci iniuriam quam ab eis, vt demonſtraui, maximam accepiſſet, facilè poſset: non modò non fecit, oblitus iniurias victo animo, &

poſitú reuertamur. Ioſeph fratres quãquã pro illi⁹ clemẽtia & humanitate tãtas opes honoresq; adepti ſunt, tamen maximis animi curis, angorib⁹, doloribusq; confectos eò voluit peruenire, ne tantũ proditionis crimen inultum omnino ferrent. Nam & durius cum eis locutus eſt, primo eorum aduẽtu, cum illos ſpeculatores eſſe dixit: & in carcerẽ ob eam cauſam coniecit: & cõpletis frumento eorum ſaccis, ſcyphoque argenteo in ore ſacci Beniamin illius iuſſu clàm poſito & deprehenſo in ſecundo aduentu, tanta moleſtia affecit, eisq; tantum terroris iniecit, vt nõ recuſarent quo minus ſerui eius eſſent. Verum ea omnia paucis ordine narrari melius eſt. Cũ igitur miſsi à patre emendi frumenti cauſa in Aegyptũ peruenißent, eos ſimulatq; Ioſeph animaduertit, memoria repetens ſomnia quæ viderat, illos ſpeculatores eſſe, veniſſeq; vt regni loca infirma & minimè munita conſiderarent, dixit. Cùm negarent illi ſeq; & veniſse emendi frumenti cauſa, & vnius viri filios eſſe dicerẽt, qui tãtùm de pace, nihil de fraude aut bello cogitaret, & ille inſtaret: illi præterea cum eum ignorarent, vt dixi, duodecim fratres fuiſſe

vnius Chananæi viri liberos, quorum decem ipsi essent, minimus natu domi cum patre mansisset, duodecimus excessisset è vita: tum acrius instare cœpit, speculatores eos esse, se exploraturũ qui essẽt, nõ egressuros eos inde, quoad eorũ frater minim⁹ natu venisset, mitterẽt vnũ qui eũ adduceret, reliquos in vinculis futuros, dum oratio eorũ veráne an falsa esset, probaretur. Triduo cùm in vinculis fuissent, produci iussit, eisq́; præcepit, vt imperata facerent, fratrem eorum vnum in vinculis fore dixit, dum cæteri conuectis frumentis quæ emerant, minimũ natu fratrẽ adduxissent, quò faciliùs orationis eorum veritatẽ exploraret, neq; morerentur. Tum illo præsente inter se hæc lingua sua iactabãt, iure ac meritò hæc sibi mala euenire, quòd iniuriam fratri suo fecissent, qui cum ipsos precaretur, ne se proderent, eum minimè audissent. Ruben pręterea addidit, se alios monuisse, ne malè de eo cõsulerent, cuius sententiam quoniam non secuti essent, idcirco illius peccati pœnas omnes luere. Hæc Ioseph intelligere minime rebantur, quòd per interpretem ipsos conueniret. Ioseph qui ea omnia intelligeret, permoto

animo paulum inde ſe ſubducens, obortis lachrymis fleuit: cùm ſe collegiſset, ad eos reuerſus eſt, deditq; clàm negotium ſuis, vt implerent frumento ſaccos ſingulorum, in eisque pecunias eorum reponerent eis inſcijs, commeatumque præberent. Ita retento Simeone in vinculis, eos ad patrem remiſit. Apertis ſaccis domi cũ ſimul & frumentum & pecuniæ effunderentur, terrore ac timore perculſi ſunt. Rẽ omnem patri ordine vt geſta eſſet, narrare cœperunt: qua ex commemoratione & expoſitione cùm maximum animo dolorem Iacob pater cepiſset, cùm ſe eorum culpa ad liberorum orbitatem redactum iri diceret, Ioſeph enim deuoratum eſſe, Simeonẽ teneri in vinculis, & Beniamin peti, Rubẽ ei poteſtatem ac ius necis duorum liberorum conceſsit, niſi Beniamin ſaluum & incolumem reduceret. Pernegauerat Iacob ſe id facturum, quòd ſi quid ei aduerſi in Aegypto accidiſset, mori ipſe eorum culpa cogeretur: cùm vrgente fame, conſumptoque frumento quod ex Aegypto aduexerant, ipſe liberis præcepit vt in Aegyptum coemptum frumentũ redirent. Iudas ſe ac fratres id facturos negauit, quòd Ioſeph

ipſos ſine Beniamin redire nollet. Itaq; ſi eũ daret,ſe atq; fratres eò profecturos eſſe: ſin minus,non eſſe ituros ad tam certũ periculum. Cumq́ue pater illos miſeriam ſuam procuraſſe in eo diceret, quòd Beniamin nominaſſent,atq; illi hoc ipſum ita purgaſſent, vt à Ioſeph ſe rogatos ordine de genere ſuo dicerent, patremne haberent, & alium ne fratrem, ad quæ ordine reſpondiſſent cũ minimè ſcire potuiſsent, præcepturum eum fuiſſe,vt ipſi fratrẽ ſuũ ſecum ducerent:& Iudas præterea patrem rogauiſſet,vt Beniamin mitteret, ſe enim ſi quid ei mali accideret,eam culpam præſtaturum, & niſi mora interceſsiſſet, iam fuiſse redituros: tum deniq; Iacob, ſi ſic neceſſe eſset, facere eos vt placeret, permiſit.Itaq; ſumerent ipſi de optimis regionis illius fructibus in vaſis ſuis, deferrentq́ue viro munera,paulum reſinæ, mellis,ſtoracis, ſtactes, therebinthi & amygdalarum, duplicemq; pecuniam ferrent ſecum,& illam quam in ſacculis inueniſſent reportarent,ne fortè id errore & imprudentia accidiſſet:ducerent etiam Beniamin: ſe precari Deum ſuum rerum omnium præpotentẽ,vt virũ illum ita eis placidum redderet,vt

ret, vt & Simeonẽ quem in vinculis haberet,& Beniamin cum eis remitteret: ſe tamen in ea eſſe opinione & ſententia,vt orbitatem liberorũ ſibi futuram pręſentiſceret. Cum finẽ dicendi pater feciſſet,instructis paratiſq; omnibus,in Aegyptũ fratres decem proficiſcũtur. Eos Ioſeph vt vidit, procuratori negotium dat,vt eos domum introducat, conuiuiumq́; inſtruat, quòd vnà cum eis menſæ accumbere ſtatuiſſet. Domum cũ intraſſent,timore perculſi,inter ſe hæc dicebant, ſe ab illo domum propter pecuniam,quã anteà in ſaccis ſuis portaſſent, intromiſſos eſſe, vt fraude ipſos egiſſe cũ docuiſſet,vi vnà cũ aſinis ſeruitute opprimeret.Itaq; in ipſo veſtibulo procuratorem conueniunt, eiq́; exponunt ea omnia,quæ de pecunia paulò antè commemorata ſunt: quam & retuliſſẽt integram, & aliam ijs emendis,quæ ad victũ pertinerent. Procurator, qui omnia intelligeret, eos vt bono animo eſſẽt,hortatur:Dei eñi quem eorum pater coleret,benignitate factum eſſe,vt pecuniam in ſaccis ſuis inueniſſent,præſertim cùm pecuniá quam dediſſent, ipſe probatam haberet. Educto Simeone, munera comparabant, quæ ve-

nienti Ioseph meridie offerrēt. Venientę́ supplices venerantur, quos cùm clemēter resalutasset, primū omnes rogat, nū pater eorū valeret, deinde valere eū ac viuere cū respōdissēt, erectisq́; ipse oculis Beniamin vtroq; parēte, vt dixi, fratrem suū vidisset, quęrit, esset ne is minim⁹ natu frater quē dixissent: cùm esse respōdissent, ei tantum bene precatus est, nec quicquam præterea præ animi permotione, quæ etiam lachrymas ciebat, potuit dicere. Itaq; in cubiculum se recipiens flet sine arbitris: abluta facie cum rediisset, instrui mensam iubet, fratresq́; accumbere è regione vt quisq; ętate antecedebat. A prandio procuratori sine arbitris negotium dat, vt singulorū saccos frumento compleat quantum capere possent, & in ore singulorum pecunias, in ore autem sacci Beniamin præterea cyphum suum argenteum. Mandatum domini procurator curauit diligenter, eosq́; mane cū asinis dimisit. Iam ex vrbe illi egressi erāt, & aliquantum itineris confecerant, cùm Ioseph procuratorem accersiuit, eiq́; imperauit, vt illos persequeretur: quos cùm assecutus esset, obiurgaret, quòd malè de benefico meriti essent, surrepto poculo ar-

genteo, in quo bibere & augurari solitus esset. Cùm eos cõsecutus esset, negare omnes, ac dicere id factum à se credibile non esse, qui inuentam in saccis pecuniam retulissent: quòd si verbis fidem habere nollet, non recusare, quin & is qui se tam nefario scelere cõtaminasse inuentus esset, interficeretur, & cæteri perpetua domini illius seruitute opprimerentur. Non accepit hanc conditionem procurator, sed aliã proposuit multò leuiorem, eum qui fecisse furtum cõuictus esset, seruum ipsius fore, sine noxa cęteros. Ita saccis in terram abiectis, & apertis, diligenter omnes à maximo natu ducto exordio, deinceps ad minimum vsq; scrutatus, poculum in Beniamin sacco inuenit. Tum illi scissis tunicis, oneratisq; rursum asinis in oppidũ reuertuntur: primus Iudas sequentibus alijs ad Ioseph, qui nondum è loco pedem mouerat, ingreditur, proniq; omnes se ad pedes illius proijciunt, vt somniorum quæ ipse viderat, euentus probaretur. Acerbè eos obiurgat, & accusat, idq; ab eis factum esse dicit, quasi ignorarent, ipsum auguribus omnibus gloria artis excellere. Iudas nihil se ac fratres afferre posse dicit, quin

quoniam ſcelus cōperiſſet, ipſis pro ſeruis vteretur. Cumq; Ioſeph eo ſe iure cū illis acturū negaret, eumq; modò qui ſcyphum furatus eſſet, ſeruū ſuum fore diceret, paſſurumq; ſe liberè ad patrem redire cæteros: tum idē Iudas audacius ac liberius altè repetiuit, quæ inter eos, Ioſeph, & patrem dicta factaq; eſſent: illiuſq; orationis hæc fuit ſententia, ſe patri qui Beniamin dare nollet, cùm multis alijs de cauſis, tū quòd ſi quid ei mali accidiſſet, moriendum ſibi intelligeret, tandē perſuaſiſſe, cùm præſtatúrum ſe culpam pollicitus eſſet. Itaq; ipſe potius maneret ſeruus, Beniamin cū cæteris fratribus ad patrē reuerteretur, quòd abſente puero redire ipſe nō poſſet, ne calamitatis quæ patrē eſſet oppreſſura, teſtis eſſet. Hæc talis Iudæ oratio tantū apud Ioſeph valuit, vt ipſe qui iā ſibi animoq; imperare nō poſſet, cùm imperaſſet, vt cæteri abirēt, clara voce, vt omnes Aegyptij comitatuſq; omnis Pharaonis exaudirent, Ioſeph ſe eſſe clamauerit, quæſieritq; etiāne pater ſuus viueret. Fratres ſummo timore, vt fit, perterriti, ne verbū quidem reſpondere potuerūt. Ipſe eos leniter propius accedere iubet: cū acceſsiſſent, Ioſeph ſe eſſe dicit

dicit quem Aegyptijs vendidiſsent : ne ti-
meāt,neue durū aut graue exiſtimēt,quòd
ipſum vēdidiſsent , hortatur.Salutis enim
ipſorum cauſa ſe à Deo in Aegyptum prę-
miſsum eſse, vt res ad viuendū neceſsariæ
eis ſuppetere poſsent.Bienniū iam vniuer
ſum orbē fame oppreſsum eſse, reſtare eti
am quinquennium.Itaq; ad patrem prope
rarent,eiq; nuntiarent,quanta auctoritate
ipſe in Aegypto valeret,quò facilius eò ha
bitādi cauſa in agrò Geſsennino vnà cum
ſuis omnibus veniret,ne famis quinquen-
nij,quod ſupereſset, incōmoda & iniurias
ægrè toleraret.Tū in colla ruens ſingulo-
rum, omnes cum lachrymis complexus &
oſculatus eſt, ſed primū Beniamin id offi-
cij tribuit. Cùm apud Pharaonem fama ad
uentus fratrū Ioſeph increbruiſſet, maxi-
mam ex eo percepit voluptatē, deditq; ei
negotium,vt fratres moneret,onuſtis fru-
mēto iumētis datiſq; plauſtris ad vehēdos
paruulos & ſupellectilē,vt maxima celeri-
tate in patriā reuerſi, patrem in Aegyptū
habitandi cauſa adducerēt,eiq; nuntiarēt,
opes omnes ac theſauros Aegypti illi ac
familiæ patere. Voluntate Pharaonis in
patrem & fratres patefacta,datiſque plau-

ſtris & commeatu ex Regis imperio, cùm præterea ſingulis alijs binas togas, Beniamin quinq; cum trecentis argenteis largitus eſset, eos dimiſit. Illi cùm domum peruenißent, rem omnem ordine vt imperatũ erat, patri narrãt. Iacob eo nuntio lętus, conſpectis plauſtris ijsq́; omnibus quę Ioſeph miſiſset, quaſi reuixit, dixitq́; ſibi ſatis eſse, ſeq́; ſatis diuturnã egiſse vitã, ſi Ioſeph filius viueret. Se enim iturum eumq́; viſurum eſse, antè quàm è vita excederet. Inſtructis omnibus, impoſitisq́ue in plauſtra pueris vuiuerſaq́; ſuppellectili, in Aegyptum Iacob cum liberis profectus eſt. Ex itinere Iudam ad Ioſeph præmiſit, qui ei ſuum ſuorumq́; aduentũ nuntiaret. Ioſeph iũctò curru ſuo ſine mora in Geſsenninum agrũ patri obuiã prodijt, quo viſo, in eius collum ruens, inter amplexus magnam vim lachrymarum effudit. Ei pater ſe iam lætum æquoq́; animo à vita migraturum eſse dixit, quod eum vidiſset, & ſuperſtitem relicturus eſset. Ipſe & fratres præterea admonuit, familiamq́ue eorum vniuerſam, ſe ad Pharaonem ire nuntiatũ aduentum illorum omnium, & præſcripſit, quid Regi, quod vitæ genus ſequerentur quæren-

quærenti reſponderent, id eſt paſtores ſe eſſe dicerent, vt in agro Geſſennino habitare poſsent, propterea quod omnes paſtores ouium Aegyptij deteſtarentur. Quod facilè impetrarunt fratres quinque, cũ ab illo ad Regẽ intromiſsi ita reſpondiſsent, vt illi præſcripſerat. Introduxit etiam ad Regem patrem ſuum: quem cum Rex vidiſſet, eumq; quot annos natus eſſet, rogaſſet, ille cùm ei gratias egiſſet, primum reſpondit, centum & triginta annos ſe compleſſe, qui tamen maiorum ipſius ætatem minimè æquarent. Tum ſalutato Rege, actisque gratijs egreſſus eſt. Ioſeph autem patrem, fratres, vniuerſamque familiam in agro Geſsennnio incolas collocauit, ibiq; eis omnia quæ ad victum pertinebant, ſuppeditauit & præbuit. In toto enim orbe panis frumentumq; deerat, famesq; terrã maximeq; Aegyptum & Chananæam oppreſſerat. Quo quidem tempore Ioſeph, & in dominum maxima fide fuit, & in Aegyptios benignũ ſe pręſtitit. Nam & Regis res atq; opes auxit, & illis, dubijs aut deſperatis potius rebus ſubuenit. futurũ enim fuit, vt omnes fame cõficerẽtur, niſi quam frumenti vim anteà congeſsiſſet, ipſe pôſt

omni

omnibus patere voluiſſet. Res verò opeſq; auxit, non ſolum quòd frumentum pretio & pecunia vendidit, verumetiā quòd pecunia exhauſta, primū pro pecorib', vt equis, ouibus, bobus & aſinis ſexto ſterilitatis anno frumentū acceperunt Aegyptij: deinde poſtremò, id eſt ſeptimò, cū illa iam nulla eis ſuppeterēt, ſemetipſos poſſeſsionesq́; ſuas vendiderunt, ſed ne agri inculti manerent, benignitate ac liberalitate ea cum eis vſus eſt, vt ſeminibus acceptis cū agros cōſeuiſsent, quintam partem fructuū ac frugū, quas terra ex ſe funderet, præter ſacerdotū terrā, quæ libera fuit, quotānis Regi perſoluerent, ipſi quatuor reliquas ſibi ac familię haberent, ac reſeruarēt. Hoc ius cū multi alij licitū fuiſse tradunt ſanctiſsimi & clariſsimi homines, tum B. Ambroſius optimus ille Mediolanēſium pontifex. In Aegypto Iacob cùm decē & ſeptem annis vixiſſet, ſentiens diē mortis appropinquare, Ioſeph accerſiuit, eumq́; iuriſiurandi ſacramento obſtrinxit, ne ſe in Aegypto humari ſepeliriq́; pateretur, ſed in ſepulchro maiorū ſuorum: quod ille ſe facturū eſse promiſit. Cū eundē ægrotare audiuiſset, liberos ſuos Manaſse & Ephraim ad eū ſecum duxit.

duxit. Eos antè quã videret, ſenex adoptauit, cũ dixiſset ipſius Ioſeph futuros eſse, quos deinceps ac poſtea procreaſset. Cùm eos vidiſset, nec quòd præ ſenectute cæcutiret, internoſcere poſset, qui nam eſsent, quæſiuit: cũ didiciſset, ad ſe eos adduci iuſſit, vt eis bene precaretur: adductos cõplexus & oſculatus eſt, patriq; dixit, Deũ ſibi dediſse, nõ ſolum vt illius, ſed etiam eius liberorum aſpectu frueretur. Cumq; remotos eoſdem Ioſeph ita bene precaturo admouiſset, vt Manaſse, qui maior natu erat, ad dextrã illius, Ephraim ad ſiniſtrã locaret, porrectam in alterã partẽ dextrã ſenex capiti minoris natu, ſiniſtrã alterius impoſuit, rogauitq; Deum, vt pueris illis omnia benè & proſperè euenire vellet, in eiſq; nomen ſuũ, patriſq; Iſaac, & Abraham aui nomina, vt ita dicam, inuocarentur, atq; eorũ poſteri augerentur. Quod quidem patris factum Ioſeph acerbè tulit. Itaque apprehenſam eius dextrã in caput maioris natu transferre conabatur, atq; ita faciendũ eſse dicebat, quòd Manaſse maior natu eſset, cùm ſenex Manaſse maiorem natu filium ſcire ſe dixit, clarumq; eum quidem futurum, ſed Ephraim eiuſq; poſteros fore &

maiores

maiores & clariores. Patri nō solum in vita omni officiorum genere, quæ liberi parenti debent, satisfecit, sed etiam mortuo. Nam simulatq; excessit è vita, ad Pharaonem adiens, ei patris mortui voluntatem, suamq; iureiurādo corroboratam promissionē significauit, quæ ille omnia cùm approbasset, in maximo clarissimorum Aegyptiorū suorumq; comitatu additis etiā equitibus cadauer in Chananæam prosecutus est. Ibi cùm septem diebus maximo luctu funus celebrasset, in Aegyptum eodem comitatu est reuersus. In fratres mortuo patre eundem se, quem viuo præbuerat, id est pium, præbuit: pietatemque colere, quàm animo recordatione iniuriarū parere maluit: idq; mortuo statim patre declarauit. Nam cum fratres in Aegyptum à patris sepultura reuersi, vererentur, ne ille veteres iniurias memoria repetens, sumendum sibi de ipsis per occasionem mortuo iam patre supplicium statueret, re inter se communicata & deliberata, de communi sententia miserunt, qui ei hæc exponeret: patrem antè quàm migraret à vita, eis præcepisse, vt illi verbis suis dicerét, petere ab illo se maiorem in modum, vt fratrū in se

scelus

ſcelus obliuiſceretur, eosq; etiam illũ per ſe vehementer rogare, vt Dei patris ſui ſeruis ignoſceret. Ille audita legatione, qua erat miſericordia in omnes affectus, fleuiſſe dicitur. Fratres cùm veniſſent, conſolatus eſt, atq; vt omnem metũ ex animo deponerent, monuit: neq; hoc tantùm, ſed ea omnia, quæ ad viuẽdum neceſsaria eſſent, eis familiæq; eorum ſuppeditaturũ ſe eſſe promiſit. Cùm centeſimum & decimum annũ tãtis honoribus vſus, tamq; magnis virtutibus prędítus compleuiſſet, in Aegypto maximo omnium gemitu & luctu exceſsit è vita. Ante mortem fratribus ſuisq; omnibus iureiurando obſtrictis, prædixit, fore vt Deus eos reſpiceret, eisque in terram, quam Abraham, Iſaac, & Iacob patri promiſiſſet, reditum concederet. Itaq; tum eis veniret in mentem, vt eò ſecum ipſius oſſa transferrẽt. Non eſt id quidem dubiũ quin id ſe libẽter facturos eſſe promiſerint, atq; ijdem liberis, liberi eorũ poſteris ſuis faciendũ prodiderint. Itaque Moſes cùm hoc ipſum à maiorib⁹ acceptũ memoria repeteret, tum cum Iudæi ſeruitutẽ Aegyptiorum Dei benignitate liberati ſunt, eius oſſa ſecũ portauit. Condita

ſunt autem in eo agro, quem Iacob pater ab Hemor Sichem patre emerat.

MOSIS SIVE MOYSI Vita.


Oſes Amram patre, Iochabed matre, tribus Leuinę ſiue Leuiticæ, tum natus eſt in Aegypto, cum Pharaoni regi Aegypti deleta Ioſeph memoria ſiue temporis diuturnitate, ſiue aliquo alio caſu, Iudæi qui tum Hebræi appellabãtur, tanto odio fuerunt, vt eos graui primùm ſeruitute premeret: deinde cum eorum numerum indies augeri cerneret, veritus ne rebellionẽ facerent, obſtetricibus imperauerit duabus, Sephoræ & Phuæ, vt cùm Hebręis mulieribus in partu officij cauſa adeſſent, mares interficerent, fœminas reſeruarẽt. Cui imperio & præcepto tam iniquo cùm illæ obtemperare & parere nollent, accerſitęq; à rege, rogarentur, cur non paruiſſent, honeſto pioq; mendacio regem fefellerunt: Hebræas enim mulieres, quæ eædem obſtetrices eſſent, antè quàm ad eas venirẽt, parere ſolitas reſponderunt. Hinc Rex qui rem contrà ac vellet, procedere intel-

ligeret, maiore iracundia incitatus, crudele edictum promulgat. Præcipit enim non iam duobus aut tribus, sed vniuerso populo, vt mares in flumen deijcerent, reseruarent fœminas. Igitur cùm Moses tam iniquo edicto extâte, natus esset, mater quæ eum elegantem animaduerteret, illum tribus mensibus occultauit: sed cùm iam celare sine periculo non posset, in fiscella scirpea, quam bitumine ac pice liniuit, infantem inclusum, in ripa fluminis exposuit, spectante procul, euentumque rei expectante eius sorore. Eo ipso tépore Pharaonis filia ad flumen vnà cum puellis lauandi causa veniebat. Ea cùm fiscellam fluctuantem in aqua animaduertisset, misit vnam è suis, quæ fiscellam afferret: allatam cùm aperuisset, cernens infantem vagientem, illius miserta est, cum Hebrææ puerũ esse dixisset. Soror pueri ibidem constiterat. Ea accedens propius, ex Pharaonis filia quęrit, velletne iret accersitũ Hebręam mulierẽ, quæ infantulũ alere posset. Cùm velle ostenderet, currit: matrem accersit: illi Pharaonis filia infantem educandũ locat, illa accipit, educat non pro suo, sed suum: adultum reddit: receptũ hæc adoptat,

eiq́ue nomen Mosis ab euentu imponit. Corroborata ætate, negauit se esse filiæ Pharaonis filium, vt ait B. Paulus in epistola ad Hebræos, maluitq́; cum Dei populo malis affici, quàm ex peccato ad tempus percipere volupatem: quo quidem facto suo pluris se facere mala, quæ Christi nōmine perferebat, quã Aegyptiorũ thesauros, docuit. Relicta enim filia Pharaonis, atq; adeo ipsius Pharaonis regia, fratres suos, id est Iudæos, inuisit: cumq́; ibi virũ Aegyptium quendam ex Hebræis iniuria cædentem & verberantẽ animaduertisset, nec quenquam, in omnem partem circunspiciens, adesse videret, accepta diuinitus, vt grauibus sanctisq́; nostræ religionis auctoribus placet, potestate, Aegyptiũ interfecit: interfectũ in arena occultauit. Postridie cùm Hebræos duos rixãtes atq; pugnantes vidisset, atq; ei qui iniuriam faciebat, cur proximũ suũ percuteret, quæsiuisset: ille ex eo vicissim quæsiuit, quisnã eum vtriusq; iudicem dedisset, & num se interficere vellet, quemadmodũ pridie Aegyptium morte mulctasset: quòd illi ita nouum visum est, vt miraretur quisnam hoc enuntiasset, tantumq́; timorẽ incussit,
cùm

cùm Pharao id resciuisset, ob eáq; causam eũ interficere cogitaret, vt illius cóspectũ fugiẽs in agrũ Madianum se receperit. Ex fuga laxandi reficiẽdiq; animi causa ad puteum quẽdam sederat, cùm Iethronis Madianorum sacerdotis septẽ filias, quæ haustum aquam venerant, impletisq; canalibus greges patris sui adaquare cupiebant, pastores interuenietes eijciunt. Hoc moleste ferẽs Moses, deturbatis pastorib9, carũ oues adaquauit. Quo factũ est, vt cum filię celeriùs solito domum greges reduxisset, admiratusq; pater rei euentum, ex eis didicisset Aegyptium quendam opem tulisse, eum domum accersendum curauerit. Ibi cùm aliquandiu eum se prestitisset, vt nihil in vita eius hospes reprehendere & culpare posset, dignum duxit, cui rectè Sephoram filiam in matrimonium daret. Ex ea liberos duos suscepit, Gersam & Eliezer. Exponere me hoc loco commodè posse arbitror breuiter, quæ cùm alij multi, tũ magnus ille Basilius de Mosis doctrina, quosq; audierit, & quandiu in naturæ cognitione versatus sit, principio primæ cócionis earum, quas in Hexaëmeron scripsit, prodidit. Eũ quidẽ & à Pharaonis

filia Aegyptiorũ ſapientibus in diſciplinã datum eſſe ſcribit: & cum eorũ inuidia, id eſt Hebręorũ,in quos quemadmodũ paulò antè expoſui,beneficia cõtuliſſet,expulſus, relictis Aegyptiacis tumultibus, in Aethiopiã ſe recepiſſet,ibi neglectis cæteris rebus omnibus, quadraginta annos cõtinuos in naturæ veriq; cognitione cõſum pſiſſe. Stephanus autẽ qui primus Chriſti nomine mortẽ perpeſſus,vt eſt apud Lucã in Actis Apoſtolorũ ſcriptum,eundẽ eruditum omni Aegyptiorum ſapientia commemorat. Nunc ad ordinẽ,quem mihi in vita eius ſcribenda propoſui, reuertẽdum eſt. Cum Iethronis ſoceri oues,octoginta iam annos natus,vt idem Baſilius ait,paſceret, ductoq; grege in vmbilicũ, intimaſq; ſolitudinis partes,ipſe in Horeb montem aſcendiſſet,ei Deus in flãma ignis è medio rubo eminẽte apparuit:cumq; rei miraculo adductus & excitatus, quòd dumus arderet,nec cõbureretur, eò ſibi conſiderandæ rei cauſa eundum cenſeret,eum ex itinere nomine Deus è rubo medio appellauit:reſpõdentiq; ſe pręſto eſſe,& vetuit ne propius accederet, & præcepit vt calceos detraheret, cùm eũ locũ in quo ille ſtaret,

ſanctam

ſanctam eſſe terrã,ſeque patris eius Abrahã,Iſaac,& Iacob Deũ eſſe dixiſſet. Cumq́; os & faciem ſuam operuiſſet, quòd Deum intueri minime auderet,ſe Deus populum ſuum reſpexiſſe dixit,quem pręfecti curatoreſq́; operis iniuria opprimerent,exaudiſſeq́; eius clamorẽ, quo nimio labore cõfecti ipſum rogaſſent, vt ſui miſereretur. Itaq; ſe,qui illius dolorẽ ſciret,deſcẽdiſſe, vt eum ab Aegyptiorũ poteſtate liberũ & ſolutum, in regionem fertiliſsimam, omniumq́; bonorum copia affluentem,quam Chananæi, Hethæi, Amorrhæi,Phereſæi, Heuæi, & Iebuſæi incolerent, deduceret, qua in re vti eius opera, eumq́; mittere ea de cauſa ad Pharaonem ſtatuiſſet. Moſes qui ignorationis conditioniſq́; ſuæ conſcius eſſet,quærere cœperat, quiſnam ipſe eſſet,vt in cõſpectum Pharaonis procederet,Hebræoſq́; ex Aegypto educeret,cum Deus ſe ei affuturum eſſe pollicitus eſt,dixitq́; ita intelligi poſſe illũ ab ipſo miſſum, ſi cum populum ſuum ex Aegypto eduxiſset, ei in illo ipſo monte immolaret. Quòd ſi Hebręi ex eo quęrerẽt,à quo miſſus eſſet, ſe ab eo qui eſt, ad eos miſsũ eſse diceret, qui idẽ Deus eſset maiorũ ipſorũ

Abraham, Isaac & Iacob. Quæ si dixisset, fore vt ab illis audiretur & approbaretur. Tũ verò ipse atq; maiores natu populi ad Pharaonem adirent, eiq́; exponerent, se à Domino Deo Hebræorum accersiri, tantùm tridui itinere se in solitudinem concessuros dicerent, vt ibi ei immolent. Se tamen certo scire hoc illos à Pharaone, nisi malo cogatur, nõ esse impetraturos. Itaq; se nouis inauditisq́; malis Aegyptum oppressurum, quibus tandem aliquando coactus Pharao, eos liberos dimissurꝰ esset. Cùm abirent, mulieres à vicinis & hospitis vestes, vasa argentea, & aurea vtenda poscerent, eaq́; in liberorum humeros imponerent. Manu tum fortè bacillũ siue virgam Moses tenebat, quę cũ ab eo afferente non sibi populum esse crediturũ, iussu Dei in terram proiecta esset, in serpentem versa est. Cũ metu exterritus fugeret, iussu Dei caudam àrripuit, rursusq́; in virgã mutata est. Manum etiam eum iussit in sinum ponere, quam postea niuis instar elephantia contaminatam protulit. Sed eandem cum rursum iussu Dei in sinum retraxisset, postea protulit ita valentem, vt anteà. Tum Deus populũ dixit, si minus priori signo,

at certè poſteriori eſse crediturum. Quòd ſi fortè vtrunq; apud Iudæos parum haberet virium ad faciēdam fidem, tum aquam fluminis ſumeret, quam in terram effunderet: ſic fore, vt quicquid ex fluuio hauriret, in ſanguinem verteretur. Cumq́; indiſertum ſe eſse Moſes profiteretur, atq; in ſe maiorem linguæ tarditatem & impeditionem, ex quo verba cū ipſo feciſset, ſentire diceret: quærere ex eo Deus cœpit, quiſnam præter ſe os hominis feciſset, aut quis mutum, ſurdum, eum qui cerneret, & cæcum fabricatus eſset? Itaque certus iret: futurum enim eſse, vt in eius ore atq; labris quaſi inſideret, ac doceret qua vſurus eſset oratione. Ne tum quidem acquieſcens, Deum rogauerat, vt mitteret, quem miſsurus eſset, cū Deus ei infenſus, Aaronem eius fratrem, Leuitam, eloquentem eſse ſcire ſe dixit, eumq́; illi obuiam proditurum, & ex illius aſpectu magna affectū iri lætitia. Eum conueniret, eaq́; illi exponeret quę dixiſset: ſe vtriuſq; orationi verbiſq́; moderaturū, oſtenſurumq́; quid agere deberēt. Aaron frater pro illo ad populū verba faceret, ipſe ei in ijs adeſset, quæ ad Deum pertinerent. Virgam, qua ſigna

editurus esset, sibi sumeret. Hæc cùm accepisset, hisque instructus esset Moses, se ad Iethronem socerum contulit. Is ostendenti Mosi, velle se in Aegyptũ fratres visere, permisit. Ei in eo cõsilio & proposito Deus significauit mortuo sesse eos, qui illi mortem pararent. Itaq; ne eò ire vereretur. Hoc nũtio multò fidẽtior, sumpta vxore, liberisq; in asinũ impositis, viã in Aegyptũ ferentem ingressus est. Cùm in montẽ quendã peruenisset, Aaron à Deo monitus ei obuiam venit eumque osculatus est. Ibi fratri præcepta Dei & signa, quæ facienda dedisset, exponit: re deliberata, cõmunicatisq; consilijs veniũt, omnes maiores natu conuocãt. Aaron omnia quę Deus Mosi dixerat, exponit. Moses signa in conspectu populi edit: quæ duo apud populum tantum valuerunt, vt non solùm omnes crederẽt, sed etiam Deũ proni ac supplices venerarẽtur, ꝙ ipsos respexisset rebus aduersis & afflictis. Perspecta cognitaque populi volũtate, Moses & Aaron primo quoq; die ad Pharaonẽ fiducię pleni adeũt, eiq; exponũt omnia, quæ à Deo acceperant. Rex cũ domini Dei Hebræorũ nomẽ audiret, qui eos de populi libertate ad ipsum misisset, rogare

rogare cœpit, quisnã Dominus esset,vt eius verba audiret, seq; dominũ ignorare, nec Hebræos dimissurum esse dixit. Quin etiam vtrunq; grauiter obiurgauit, quod animos populi ad rebellionem studiumque nouarum rerum solicitarent: eisque præcepit, vt ipsi potius ad opera redirent, & populum in officio continerent, quem si opere defatigatũ, tamen in immensum penè iam creuisse cernerẽt, quantò maior spes esset maioris multitudinis, si operibus relictis, se otio torporique dederet? Cum eos his verbis dimisisset, eo ipso die accersitis præfectis operum, præcepit, vt populo instarent, detractisq; straminibus maius onus imponerent. Populus qui se multò grauius acceptum,posteaquàm Moses & Aaron Pharaonem conuenissent, cerneret,eos obiurgare, maledictis afficere,ac conqueri,ab eis Pharaoni præbitum gladium, quo ipsos iugularet. Quæ cum Moses Deo exposuisset, ab eo & ad populum missus est,qui eum suis verbis consolaretur,quòd eũ ex Aegypto quasi ex carcere emissurus esset,& ad Pharaonem,qui cum eo rursus ageret,vt populo suo liberè abeundi potestatem faceret. Populus

quidem

quidem Mosi nõ est assensus, quòd durissi mo opere angeretur. Itaq; Deo legationis munus ad Pharaonem, cùm ipsum liberan di populi muneri præfecisset, non habiturum exitum, quòd ne populus quidẽ crederet, ostendit. Deus eum munus illud diligenter adiuncto Aarone fratre, obire iubet: si parere Pharao nolit, minetur se signa facturum: si signa eos ille ostendere iuberet, moneret fratrem, vt virgam suam ante Pharaonẽ proijceret. Eunt fratres, in gressi verba faciunt: Pharao se id facturũ rursus negat: signa se ostẽsuros minantur, ex quibus Deũ esse, à quo missi essent, cog noscerer: eos iubet ostẽdere. Tũ Aaron in conspectu Pharaonis & eius comitatus vir gãm produxit, quæ in serpentem se vertit: Pharao sapiẽtes atq; diuinos accersiuit, eorumq; virgę illorũ cãtionibus in dracones quidem mutatæ sunt, sed eas Aaron virga deuorauit. Ita cũ Pharao obstinato animo esset, illi re infecta redierunt. Deus eos rursus ad eundẽ manè ad ripam fluminis stantem misit, qui ei exponerẽt, nisi populum abire sineret, se virga aquam fluminis percussuros, quo ictu aqua statim non illa solùm, sed vniuersæ Aegypti, in cruorem se verte-

verterent,piſcesq́; morerentur. Quæ quidem conſecuta ſunt omnia: ſed cùm adhibiti magi eadem feciſſent, Pharao pertinaciter reſtitit. Aegyptij autē cùm aquam fluminis quòd in cruorem verſa eſſet, bibere non poſſent, circū fluuium foderūt. Octauò pòſt die rurſus miſsi, minati ſunt ſe eſſe facturos, vt percuſſa virga aqua fluminis, ranæ excitarentur, quæ & in regiam, & in cubiculū Regis, in lectum, in ædes omnium irrumperent, vniuerſamq́; terrā contegerent. Cumq́; & ab illis hęc omnia perfecta eſſent, & à magis eadem, tū rei deformitate maloq́; coactus Pharao vtrunq; rogare cœpit, vt Deū ipſi ſuum precarentur, vt ranas omnes necaret, nec vſquam niſi in flumine remanerent: ſic enim fore, vt populū emitteret. Hoc ſe facturos illi pollicentur, vt ipſe Deum non eſſe Deo Hebræorū parem ſciret: poſteroq́; die, quem Pharao conſtituerat, hoc precibus à Deo impetrant, nec tamen ille promiſſum exoluit, cùm liberatum ſe videret. Atq; vt paulis doceam, quàm & Moſis animus ad parendum Deo paratus fuerit, & Pharao obſtinatè in ſemel ſuſcepto conſilio in perniciem ſuam populique ſui permanſerit,
Moſes

Moses sępenumero postea ad illum missus est, quotiescunq; ad Regem adijt, cũ nouo semper mali genere ad sanam mentem reuocare conatus est, cyniphibus, muscis, morte pecorum, vesicæ vlceribus, grandine, locustis, tenebris quæ tractari poterãt. Decima clades fuit mors eorum omnium, quæ prima nata erant tam in hominibus, quàm animantibus, quæ rationis sunt expertia: qua ille coactus, fletuq́; miserabili Aegyptiorum omnium, populum Dei abire ille quidem permisit, sed posteà eius liberationem acerbè ferens, cùm illum cum suis omnibus fugientem insequeretur, in medio mari, quod rubrũ dicitur, submersus est. Ex quo intelligi par est, quàm & salutare sit se ad Dei nutum ac voluntatem fingere, eiusq́; pręceptis pro virili parte parere, & perniciosum, ea contẽnere. Gradus enim sunt in peccato quidam, quibus, nisi Deus timeatur, tandem aliquando in tantam scelerũ voraginẽ homines præcipites ruunt, vt vix, aut ne vix quidem, vnquam vlla oratione, vlloq́; malo reuocari queãt. Sed ad propositũ reuertamur. Ergo ex illa tam periculosa legatione, quanto Moses studio Dei pręceptis obtẽperauerit, intelligimus.

ligimus. Atq; ex eadem illud etiam perſpi
ci licet, quãtam à Deo gratiam inierit, cùm
eum potiſsimum populi ſui liberatorem
delegerit, nec liberatorem modò, ſed etiã
ducem atq; doctorẽ. Quæ quidẽ ad obeũ-
da munera eam diligentiam, ſtudium, ani-
mũ, conſtantiamq́; attulit, vt & Deo offi-
ciũ ſuũ probauerit, & ſuis nulla re, nullo
locon, ulla cauſa, quã quidẽ bonus dux, &
vt ita dicã, paſtor præſtare debeat, defuiſſe
videatur. Quod vt intelligi poſsit, reliqua
eius facta & dicta perſequamur. Cum Pha
rao nouẽ illis primis cladibus adduci non
poſſet, aut nollet, vt populũ emitteret, Deus
Moſi cladẽ vnã etiam reliquam eſſe dicit,
qua ille coactus populum emiſſurus eſſet.
Ire ergo eum ad illum iubet nuntiatum,
niſi populum ſuum liberum abire ſineret,
fore vt media nocte omnia, quæ prima ex
animãtibus & ratiõis participibus & exper
tibus, nata eſſent, morerẽtur, cùm intereà
Hæbræorum omnes primigenij ſalui ma-
nerent. Cùm hæc Pharaoni Moſes narraſ-
ſet, nec de ſententia deijceretur, ex eius
animi pertinacia commotior diſceſsit. Me
dia autem nocte cum ea accidiſſent Pha-
raoni & populo, quæ Deus prædixiſſet,
tum

tum deniq; & priuato dolore & communi clade omnium, qui in sua quisq; domo mortuum videbant, ac lugebant, coactus, accersitis noctu Mosi & Aaroni dixit, per se iam eis licere populũ cum ijs omnibus quæ petierant educere, vt Deo suo immolarent. Ita Iudæi Mose duce ex Aegypto, Idib. Martij, id est quindecimo Martij die, cum pridie vesperi agnum edissent, cuius sanguine ostiorum suorum postibus illitis, conseruati fuerant, exierunt. Hoc autẽ accidit, quemadmodum Moses ipse scriptum reliquit eo in libro, qui EXODVS, id est exitus, siue profectio inscriptus est, anno quadringentesimo & tricesimo, quàm Iudęi Aegyptum incoluerant. Itaq; Iosepho, siue Iosippo nõ est habenda fides, qui hãc Iudęorum ex Aegypto profectionẽ in ducentesimum & quintumdecimum annũ, quàm Iacob in Aegyptũ migraret, incidisse dicit. QVOD falsum esse, pręterquã quod ex superiore auctoritate, quę ex libro quẽ nominaui, sumpta est, intelligitur auctoritate etiam & libri, qui Genesis inscriptus est, & eius qui Acta Apostolorum, & Pauli Apostoli in epistola ad Galatas, doceri potest. In ijs enim omnibus quadringentorũ

annorum

annorum fit mentio. Sed hoc præter institutum opus. Tertio eos die in locum qui Phiaroth appellabatur, è regione Beelzephon ad mare rubrum Dei iussu perduxit. Hoc cum Pharaoni nuntiatũ esset, mutata sententia moleste grauiterq; tulit. Itaque cõparato ingẽti exercitu eos persequi cœpit, iamq; eò peruenerãt, vnde ab Hebręis conspici possent, cùm illi eis animaduersis, Mosi obijcere cœperunt, quasi in Aegypto nulla sepulchra essent, sic se ab eo in solitudinem ad mortẽ esse deductos: Satius fuisse in Aegypto seruitute oppressos perire, quã in solitudine interfici. Moses quæ à Deo acceperat consolationis plena expo nit, neminem ex tanta multitudine quam cernerent, remansurũ esse. Itaq; bono animo essent, spe victorię, qua incruẽta & sine sanguine potirentur, quòd Deus prælium pro eis initurus & conflicturus esset. Præceperat autem Mosi Deus, vt cum ad mare vẽtum esset, virga mare percuteret: Sic eñ fore, vt mare in duas partes diuisum, populo transitum præberet. Quod cùm factum esset, Aegyptij, qui mare diuisum cernentes, eadem via populum se assequi posse fugientem sperarent, cum eandem viam

ingreſsi eſſent,aliquandiu quidem inceſſe runt: ſed cũ longiùs progreſsi eſſent,iuſſu Dei Moſe manũ in mare porrigente,aquæ reuerſæ ſunt,quibus omnes ſubmerſi pœnas ſcelerum dederunt.Ad littus autẽ eiecta ſunt eorum cadauera, quæ cùm populus cerneret,Deum timuit,eiq́; & Moſi ſer uo eius credidit. Moſes verò tum populũ hortatus eſt, multis verbis, vt Deum vnà ſecum laudaret, eiq́; gratias ageret, quòd hoſtes in mare deieciſſet.Eius exemplo ad hortationeq́; adducti cum alij omnes, tũ Maria illius ſoror tympano ſumpto, cum omnibus mulieribus, quæ eam cũ tympanis & choris ſequebãtur, prçcinere cœpit, id quod Moſes iam dixerat,Cãtemus Domino,glorioſe em̃ magnificat⁹ eſt: equum & aſcenſorẽ eius deiecit in mare. Ita victis hoſtibus,ingreſsi in ſolitudinẽ, tridui itinere aquam nõ inuenerunt, tandemq́; inuenta quæ amara erat,ex quo locus poſtea Mara ab amarore dictus eſt,cũ deguſtaſsẽt, reſpuerunt,murmurantesq́; ex Moſe quçrere cœperunt,quid biberent.Ipſe qui nihil per ſe præſtare poſſe intelligeret, boni ducis & paſtoris munere functus eſt. Deũ em̃ rogare minime deſtitit,quoad ei lignũ oſtendit,

ostendit, quo infuso aquæ amaror omnis effluxit. Quinto decimo autem Aprilis die pro lunæ cursu, cùm in solitudinem Sin ventum esset, rursus bonum ducem atque pastorem se præstitit. Cùm enim populus in eum diceret, murmurarentque omnes, quòd se ex Aegypto, in qua pane & carnibus viuerent, in illam solitudinem ad certum mortis periculũ, quod ex fame immineret, transportasset, Deo rem exposuit cũ lachrymis, nec antè destitit quàm Deus promisisset, fore vt eis & coturnices, & panem è cælo plueret, cuius tãtum quotidie colligerent, quantum cuiq; in diem satis esset, nisi sexto die quo singuli in eum & posterum legerent. Hoc Moses populo exposuit, iussitq; eos paratos venire vesperi ad coturnices, & manè ad panem, quem eis Deus daturus esset. Cum se comparassent, tantus coturnicũ numerus è cælo vesperi in castra cecidit, vt ea operirent: postridie etiam manè circum castra terram minutũ quiddam & albũ pruinę instar contexerat: quod cũ populus quidnam illud esset, Hebraicè manhu, quæreret, ex quo manna appellatum est, Moses panem esse respondit, quem eis Deus daturum se esse recepisset:

præſcripſitq; id quod Deus imperauerat, vt tantum ſibi quiſq; pararet, quantum in diem ſatis eſſet, præter ſextum, quo die in eum & poſterum legerent. Rem hoc loco admiratione digniſsimam, ſi per ſe conſyderetur, exponã. Cum alij plus, alij minus arbitratu ſuo, vel pro naturæ deſyderio collegiſſent, tamẽ nec qui plus, nec qui minus ex eo cepiſsẽt, plus minuſue plenos ſe eſſe ſentiebant. Cibus enim ille verum panem, quem in cœna extrema pridie, quàm mortem ſalutis hominum cauſa Chriſtus pertulit, Apoſtolis ſuis cõſecratum dedit, id eſt corpus ſpecie panis occultatum, hoc ipſo ſignificabat. In ſolitudine annis quadraginta (tandiu enim in ea fuerunt) non alio cibo vixerunt, cuius ea vis fuiſſe dicitur, vt quancunq; eſcam optauiſſent, eius ſaporem ori afferret. Illiuſque tanti ſui in Iudæos beneficij Deus, vt iugis perpetuaq; eſſet recordatio, certã menſurã & copiam tum primum cuſtodiri in tabernaculo: deinde etiã in arca, quam poſtea fieri voluit; reponi iuſsit. Quod Dei mãdatum Moſes curauit diligenter. His ita cõſtitutis ex ſolitudine Sin profectos, in Raphidim deduxit. Ibi populus qui aquam deeſſe, qua
ſitim

ſitim toleraret cerneret, rurſus apud Moſem queſtus eſt, ſe, liberos, & iumenta ſua illius culpa, à quo ex Aegypto emiſsi eſſent, ſiti enecari. Rem Moſes cum ad Deũ detuliſſet, eamq́; eò iam ſpectare exponeret, vt ſi paulum etiam non ſubueniret, de lapidatione ageretur: ei præcepit, vt adiunctis nõnullis è maioribus natu, ipſe virga qua mare diuiſiſſet, ſaxum feriret, tũ enim deniq; magnam aquæ erupturam vim & copiam. Quæ cum feciſſet, æquiorẽ populum habuit. Eodem in loco Amalec Rex maximis contractis copijs cùm Iudęis confligere ſtatuerat. Quod ſimulatque Moſi nuntiatum eſt, rem fecit & cõmemorabilem, & imitatione digniſsimam ijs qui alijs præſunt, nec ipſi pugnare poſsũt, docuitq́; re ipſa quantum apud Deum preces valeant. Dato eñ negotio Ioſue, vt delectu habito, cũ Amalecianis pugnaret, ipſe Aaron fratre & Hur adiunctis, collem conſcendit. Ibi quandiu manus in cælum tetendit, Dei populus vicit: ſin paulum eas, quoniam iam graues erãt, remiſiſſet, tum Amaleciani vincebant. Quid ergo duo illi eius comites faciunt? ſaxum ei ad ſedendum parant, ipſi eius manus vtraque ex parte

ſuſtinent. Quo factum eſt, vt illius manus non defatigatæ ſint ad Solis occaſum, & Ioſue Amalecianos fuſos fugatosq́; interfecerit. Hoc autem Moſi Deus imperauit, ut & literarum monumentis proderet, & Ioſue diceret. Iethro Moſis ſocer, cuius ſupra mentionem fecimus, cùm nuntium de liberatione Hebræorum, & victoria quam aduerſus Aegyptios obtinuiſſent, accepiſſet, vnà cum Sephora illius vxore duobuſque liberis quos remiſerat, ei gratulatum venit. Ex itinere autem miſit, qui ſe venire nuntiaret. Itaq; Moſes eis obuiam profectus eſt. Cùm inter ſe cõſalutaſſent, eos in tabernaculum intromiſit, ſoceroq́; omnia quę acciderãt narrauit. Ille autẽ nõ ſolùm eo magna lætitia affectus eſt, verùm etiam Deo gratias egit, eumq́; Deorum maximum eſſe iá intelligere ſe profeſſus eſt. Idem poſtero die cum Moſem generum à prima luce ad veſperum ius dicentem inter eos, qui cõtrouerſias habebãt, animaduertiſſet, ex eo quærere cœpit, quid ibi rei gereret. Cum Moſes de rebus controuerſis dijudicare ſe, populumque ſe rogare Dei ſententiam diceret, tum nõ rectè nec præclarè ab eo fieri dixit, cùm & ipſe & po-

pulus

pulus ſtulto labore cõſumeretur:negotiũ illud eius viribus impar eſſe,neq; onus tãtum eum vnũ poſſe ſuſtinere. Itaq; ſi ſe au diret,illũ meliùs & ſibi &populo &vtriuſque rebus ac rationibus eſſe cõſulturum. Ipſe eas res,quę ad Deũ pertinẽt,procuraret,vt ea quæ dicerẽtur,ad eũ referret,atq; populo ritus & religionem viamq́;, quam tenere,& opus quod agere deberet,traderet.Delectu autẽ habito,viros bonos & doctos præficeret,alios qui inter mille, alios qui inter centum, alios qui inter quinquaginta, alios qui inter decẽ ius redderent: quod ſi qua cauſa maior aut grauior incideret,ad eum referrẽt, commiſſa tantũ eis poteſtate de rebus leuioribus iudicãdi.Sic enim fore,vt partito in alios onere cõmunicatoq́; labore, faciliùs ferret,ac ſuſtineret. Moſes etſi maxima tum ſapientia erat prę̨ditus,tamẽ ſoceri conſiliũ omni ex parte ſecutus eſt, in quo & maiorẽ prudentiã præſtitit, qui ſuæ ſapientiæ fiducia fretus bene monentis cõſilium minimè repudiauit,& alijs exemplũ prodidit,ne ſibi quiſquam tantũ tribuat,vt cæteros tanquã ignaros & conſilij inopes velit contemnere. Menſe autẽ tertio pòſt quã emiſſus eſt po

pulus ex Aegypto,cum eum Moſes in ſolitudinem Sin duxiſſet, fixis è regione montis tentorijs, ipſe in montem ad Deum aſcendit. E monte eum Deus accerſiuit,eiq́; præcepit, vt Iudæis nuntiaret,ſi præceptis ſuis parerent, fore, vt eos ſibi populũ ſuũ ac propriũ haberet. Cùm hæc populo nuntiaſset, omnesq́; polliciti eſſent, ſe omnia quæ Deus dixiſſet,facturos: ipſe rurſus ad Deum profectus,ei populi voluntatem exposuit. Deus cum eo ſe iam collocuturum è nube dixit, vt populus audiret: quæ res faceret vt in perpetuũ apud illũ plurimũ eius valeret ad perſuadendum oratio. Iuſſitq́; eum ad populum redire nuntiatum, fore vt tertio die poſt, qui fuit quinquageſimus poſt liberatũ populũ, conſpectante & vidente, in monté ipſe deſcenderet. Itaq; ex illo ipſo die in tertium quotidie eos expiaret & ſanctificaret,eisq́ue terminos conſtitueret, extra quos egredi vt ad montem accederent, liceret nemini: qui eo auſus eſset propiùs accedere, eum vel lapidibus obruendum, vel iaculis confodiendum daret. Mandatũ hoc Dei Moſes cum dilige̅ter curaſset, omnesq́; ſe obtemperaturos dixiſsent,tertio die manè & to-

nitrua audiri,& micare fulgura cœperunt, craſsiſsimaq́; nubes montem operuit,clan gorq́; buccinæ vehementius perſtrepebat, &mons totus fumabat,quòd Deus in eum deſcendiſset: quæ omnia ingentem terrorem populo incuſserũt. Accerſito Moſe in cacumen,cùm multa alia Deus dixit: tũ præcepta & leges expoſuit, & quaſi recitauit, quibus populum parere vellet. Leges decem ex alijs præceptis ſelectas,poſtea in duabus lapideis tabulis ſcripſit,easq́; Moſi in altero eius in montem aſcenſu populo promulgandas & tradendas dedit. In priore hæ tres ſcriptæ erant: Dominum Deum tuum adorato,eiq́; vni ſeruito.Domini Dei tui nomen fruſtra, ac ſine cauſa vt peieres,ne aſsumito.Diem Sabbathi ſanctũ habeto, nihil operis in eo agito. In altera ſeptem hæ:Parentes colito,eisq́; ſubuenito.Cædem ne facito. Stuprũ ne cui inferto.Furtum ne facito. Falſum teſtimonium in proximũ ne dicito. Domũ proximi ne cõcupiſcito. Eiuſdem vxorẽ,ſeruũ,ancillam,bouem, aſinũ, remue vllam ne concupiſcito.Atq; hæ quidẽ leges decẽ in duabus tabulis eo ordine quẽ in eis enumerãdis ſeruaui,à Deo ſcriptę ſunt.Tabulas aũt

Mosi tradidit ad populũ perferendas, quas cùm perferret, è montis descensu vocē tumultuantis populi, & quasi debacchantis exaudiuit. Populus em̃ cũ tandiu in monte Mosem cōmorari videret (triginta enim dies cōmoratus est) Aaronē siue minis, siue precibus, siue vtroq; impulerat, vt ex auro sibi vitulũ conflaret, eumq́; & adorauèrat, & diuinis honoribus affecerat: ꝙ cùm Deum minimè lateret, ob eamq́; causam iracundia incitatus populum se delere velle, Mosi antè quàm descēderet, dixisset, ita tamen vt eum magnis honoribus auctum in amplissimũ dignitatis gradum postea eueheret, Moses tum optimi ducis, & pastoris officio functus est. Rogauit enim eũ supplex, vt populo suo ignosceret, quem ex Aegypto eduxisset, ne Aegyptij hoc callidè ab eo factum dicerent, vt eos in montibus & in solitudine interficeret: tātumq́; apud Deum eius preces valuerunt, vt nisi venia impetrata non descenderit. Rem tamen tã indignam & scelestam populo inultam ferendã non censuit. Itaq; fractis & discissis tabulis, cũ edixisset, vt qui Dei partes honoremque tuerentur, ad se venirent, omnesq́; Leuinæ tribus conuenissent, eis imperauit,

perauit, vt districtis gladijs per castra concurrentes, quoscunq; obuios haberent, interficerent: cæsaq; sunt tum ad tria hominum millia. Quo quidē supplicio, veritus ne Dei animus placatus esset, cùm populo, quàm graue magnumq; scelus admisisset, indicasset, se velle ad eum ascendere eius placandi causa dixit. Eo cùm venisset, Deū rursus orauit, vt vel populo, qui tantū scelus cōmisisset, ignosceret, aut se nomenq; suum è vitæ libro deleret. Tantus quidem hic illius in suos amor, tamque singularis charitas videtur, vt maior esse non possit. Anteposuit enim non solùm vtilitati suæ, sed etiam summo bono, ad tempus salutē suorum: aut, vt apertiùs & planiùs dicam, se ad tempus summo bono carere, quàm illos deleto peccato cum Deo in gratiā non redire, maluit. Ad hęc Deus respondit, fore, vt populū, de quo sumpturus esset, quo die constituisset, supplicium, in eam regionem quam iam dixisset, deduceret, præcepit, vt sol⁹ duas alias tabulas lapideas superiorū similes excisas postridie manè in mōtem ad se deferret. Cū excidisset, noctu in montem euasit. Ibi cùm quadraginta dies ac noctes mansisset, nullo interea capto
cibo

cibo &potione, iuſſu Dei in tabulis decem leges ſcripſit. Leges autem alias permultas tulit Deus, quas quoniam longũ eſset enumerare, prætereo. Omnes quidem Moſis nomine feruntur, cùm earum Deus lator ſit, promulgatorq́; Moſes. Poſsum commemorare hoc loco ea omnia, quæ iuſsu Dei ædificãda, & facienda dedit ijs, quos Deus nominauerat, vt tabernaculũ eaq́; omnia quæ ad illud pertinebant: ſed quoniam in eo longa ponenda eſset oratio, quę minus ſuauis & iucunda multis videretur, hoc ſatis eſt intelligi, eum ſic illa omnia perficiẽda curaſse, vt nihil quod Deus præſcripſiſset, prætermiſiſse, nihil ſibi argenti, nihil gemmarũ, cùm illorum omnium infinita uis à populo collata eſset, retinuiſse videatur. In quo maxima eius continentię laus enituit, cùm nulla earum rerum ſpecie moueri potuerit, quo aliquid auferret. Sed ad alia veniamus. Hęc autem quæ dixi omnia, in Sin monte Deus Moſi præcepit vt faceret, leges vt populo traderet, & promulgaret, tabernaculum, quæq́; in eo contineri voluit, & arcam, vt Beſeleo Iudainæ tribus, atq; Oliab Danianę facienda daret. Hi vero adiunctis ſocijs operis, eam diligentiam

gentiam adhibuerũt,vt anno ſecundo profectionis,Calendis Martijs excitatum erectumq́; ſit tabernaculum. Moſes porrò,vt primùm è monte cũ tabulis deſcendit, nihil prius habuit,quàm vt totam legem populo quẽ cõuocauerat,promulgaret & explicaret.In Sin montis ſolitudine cum mẽſes nouem morati eſsẽt, eos in locum, qui ab euentu quẽ mox exponam, Sepulchra deſyderij dictus eſt, duxit. Vbicunq; autẽ fixiſsent tentoria,non antè ſoliti erãt diſcedere, aut alicubi figere tentoria, quàm Dei admonitu ipſe dixiſſet. Quanquam tã claram eis & manendi,& diſcedendi ſignificationem dedit Deus, ex quo arca facta eſt, vt ex primo Moſis admonitu omnes in poſterum, quando & manendum & migrandum eſset,facile intellexerint. Manẽdi enim ſignũ erat,interdiu nubes: noctu, ſpecies ignis ſupra tabernaculum,migrandi, amotio. Igitur excitato à terra, eo quẽ dixi & anno & mẽſis die tabernaculo,cùm nubes ſupra tabernaculum nõ videretur, quintodecimo die profecti ex Sin montis ſolitudine,cõfecto tridui itinere,in eũ locum venerũt,qui appellatus eſt Sepulchra deſyderij, quòd ibi ſepulti ſunt ij, quos

mannæ cepit ſatietas tanta, vt ei pepones, allia,cucumeres,aliaq́; eiuſdem generis anteponerent.Querelas autē ſuas ad Moſem detulerũt,eiq; mortis ſuæ cauſam obiecerunt,quòd ipſos ex Aegypto , in qua cibis illis victitarent,& carnibus,in eum locum duxiſſet,in quo nihil pręter mannam ,quá faſtidirent,cernerent.Qua in cauſa non tá ta fuit in Deum fide Moſes, quanta ſuperioribus temporibus fuerat . Tantum enim ſibi onus impoſitum apud Deum queri cœpit, his promiſcui vulgi querelis adductꝰ, quantum ipſe ſuſtinere non poſſet. Deoq; carnes ſe daturum populo dicenti, ſexcenta millia populi eſſe dixit: quaſi verò ibi ſatiare nõ poſset tantã multitudinem . Itaq; ſeptuaginta viros ex ſenibus cũ Deus conuocare iuſsit,ad fores tabernaculi,quibus partē adēptam ſpiritus qui in eo erat , tribueret,& quaſi diuideret, vt in oneris ſocietatē venirent.In ijs deſcripti erant quidã Eldad & Meldad,qui cũ in caſtris manſiſsent,& tamen vaticinarentur,tum ſingularis modeſtiæ & charitatis clariſsimũ exemplũ Moſes prodidit. Nam cũ id ei nuntiatum eſset,tantum abeſt vt grauiter moleſteq́; inuidiæ facibus inflãmatus tulerit,

vt

vt cum eum Iosue moneret, vt eis vetaret ne vaticinarentur, & illum grauiter obiurgauerit, & vt omnes vaticinarentur, optauerit. Nec tamen populus diu scelus illud inultum tulit. Cum enim Deus coturnicũ vim tantam effudisset, vt iter diei implerent, illiq́; pro se quisq; quantum vellent, legissent, tantum in os cibum ingesserant, cum de eis acerrimum supplicium sumpsit. Eodem in loco precibus à Deo, ne igne omnes conficerentur, impetrauit. Nã cum de labore, quẽ in via capiebant, apud Deum quererentur & murmurarent, ob eamq́; rem supplicij causa ignis de cælo extremam iam partem castrorum consumeret: Mosem statim appellarunt, cuius statim precibus ignis restinctus est. Idẽ paulò pòst in obtrectatores insigni eximiaq́; clementia fuit. Cùm enim Aaron & Maria vtriusq; soror illum contemnerent, quòd vxorẽ Aethiopissam duxisset, Deumq́; secum æquè, ac cùm eo collocutum iactarẽt, idq́; ita acerbè Deus tulisset, vt eis tribus à cæteris seiunctis, nõ solum quasi pro testimonio eos refellens, dixisset, se cũ alijs si qui vates essent per quietẽ colloqui solitũ, eisq́ue in visione apparere: Mosem autem

ore

ore ori adiuncto conuenire, palamque ei, non obscurè ostendere: verum etiam lepra Mariam supplicij caussa infecisset, tantum abest, vt ex sua laude, supplicioq; sororis lætitia affectus sit, vt Aaronis fratris, quem paulò antè obtrectatorẽ habuerat, precibus adductus, Deum vt eam curaret tam obnixè & ex animo rogauerit, vt illa septimo die planè curata sit. In maximo etiam populi, quem regendum gubernandumq; susceperat, eiusdẽ generis facinore precibus Deum infensum placidum, placatumq; reddidit, tum cum præcepto Dei parens, singulos ex singulis tribubus misit, qui regionem, in quam eum Deus introducturus erat, cõsyderarent, fructusq;, quos terra illa ex se proferret, secum portarent. Lustrata enim quadraginta diebus tota regione, cùm fruges fructusq; alios permultos, tum vuam tam inusitatę magnitudinis decerpserũt cum suo palmite, vt à duobus viris in vecte eam afferri oporteret: sed decem ex ijs qui profecti erant, extiterunt, qui bonitate fertilitateq; loci, hominũ qui eam regionem incolerent, vastitate & magnitudine, quam corporum moles prę ferret, eleuata, populi animis tãtum terroris inijce-

injcerent, vt ob eam cauſam eò ſe iturum negaret, miſerumq; ſe eſſe diceret, quòd nõ in Aegypto mortem oppetiuiſset, atq; ducem à quo in Aegyptũ reduceretur, deligere conſtitueret: nec reliqui duo Caleb & Ioſue eũ ab illo conſilio deterrere aut auocare eiuſdẽ regionis prędicatione, nec Moſes Dei poteſtate cõmemoranda potuerunt, quin ſublato clamore eos duos lapidibus obruere vellet. Quæ Deus ita grauiter tulit, vt exprobratis ſuis in populũ beneficijs, Moſi peſtilentia vniuerſos ſe deleturum, eumq́; alij magnæ nationi, quæ illa potentior eſſet, præfecturum diceret: idq́; feciſſet, niſi Moſes eius iram & beneficiorum, quæ in populum illum ad illud tempus Deus ipſe contuliſſet, commeratione, & lætitię quam Aegyptij ex illa re coniunctam cum irriſione caperent, repreſsiſſet. Quãquam tantum fuit Dei in eos odium, vt decem illos, qui regionem illam eleuauerant, ſupplicij cauſa primos ſubitò mori voluerit, & cæterorum qui illorum auctoritaté ſecuti murmuraſſent, neminem in eam regioné peruenturũ dixerit. Eundem ſe in ea rebellione, & coniuratione, cuius Core, Dathan, & Abiron principes fue-

runt, præstitit. Nam cùm tres illi adiunctis cõiurationis socijs ducentis quinquaginta, illum & Aaronem fratrem eius principatũ sibi arrogasse propter Domini Dei, quem in se inesse iactarent, præsentiam, dicerent, cuius non minus ipsi quàm illi participes essent, fratresq; rei nouæ & inauditæ indignitate impulsi, eos arrogantiæ primùm crimine accusarent, deinde thuribula postero die afferre iussissent, vt Deus quos eligeret, significaret, eorumq; Core venisset, Dathan & Abiron venturos se pernegarent: tam infensus omnibus eorũ scelere Deus fuit, vt omnem populum duobus exceptis fratribus deleturus fuerit, nisi eum rogassent, ne vno peccãte, ira ipsius in omnes desæuiret. Quibus eorum precibus adductus, cùm eos reliquam multitudinem à coniuratorum tabernaculis iussisset secernere: genusq; mortis nouũ Moses, quo interituros eos ei Deus enuntiasset, exposuisset: tum & terra dehiscẽs principes coniurationis cũ tabernaculis & omnibus eorum facultatibus absorbuit, & ducentos quinquaginta coniurationis rebellionisq; socios confecit ignis. Postero die non minore in suos siue pietate, siue clementia

mentia fuit. Cùm enim populus illi atque Aaroni fratri tantam suorum stragem interitumq; obijcerẽt, seditioq; & tumultus iam ortus tantas vires sumeret, vt in tabernaculum fœderis populi debacchantis furoris vitandi causa confugere cogerentur, Deusque eos moneret, vt se à populo, quẽ deleturus esset, secernerent; Moses Aaronem fratrem qui pontifex erat, admonuit, vt in thuribulum igne ab arca cum odoribus imposito, se in mediam multitudinẽ, in quam iam ira Dei exarsisset, immittens pro eo rogaret. Quod cùm sedulò fecisset, stansq; inter viuos & mortuos pro populo precatus esset, ignis restinctus est, nec verò antè eò peruenit, quàm quatuordecim milia hominũ & septingẽti cõflagrassẽt. Idẽ posteà à Deo precibus impetrauit, vt populi qui murmurasset, à serpentibus quæ ignẽ euomebant, diuinitus supplicij causa inflicta vulnera, nouo quodam genere curaret. Querebatur populꝰ in via, quæ ab Hor monte ad mare rubrum fert, cùm de via fessus esset, se ex Aegypto à Mose eductum ad certam mortẽ in solitudinẽ, in qua deesset panis, aquæ nullæ essent, sibiq; nauseam cibum quem mannam voca-

bant parere dixerat: cùm his eorum que-
relis infensus Deus, serpentes ignitos emi
sit, quarum morsibus ac vulneribus pluri-
mi interierunt. Quo malo tanto coacti, sta
tim ad Mosem venerũt, & à se grauiter pec
catum esse professi sunt, quòd in Deũ atq;
in ipsum dixissent. Itaq; orare se illum, vt
serpentes tolleret. Oblitus iniurias Moses
pro ea mansuetudine qua maxima erat præ
ditus, Deum pro populo supplex rogare
cœpit. Deus Mosis precibus adductus, ei
pręcepit vt serpentem æneũ faceret, tolle-
retq; pro signo, quẽ qui intueretur, si vul-
neratus esset, curaretur. Sublato quasi sig
no serpẽte, omnes qui eũ cõspexissent, sta
tim cõualescebant. Quàm autem acer Dei
præceptorũ custos, & obseruator esset, vin
dexq; eorum qui ea violarent, Deoq; verò
repudiato ad alios falsos se conuerterent,
cùm sępe aliàs, tũ Setin in Moabitanorũ re
gione declarauit. Nã cùm Moabitanæ vir-
gines populũ, qui illis stuprum obtulerat,
ad sacrificia sua inuitasset, omnesq; ferè de
sacris escis edisset: adoratisq; illius regio-
ni dijs, eorum sacris initiati essent: Deus ea
de re infensus, Mosi imperauit, vt princi-
pes populi cruci suffigeret, quòd ita de-
mum

mum populus ſecum in gratiam rediret. Moſis autem ira vltra progreſſa eſt. Nam vnicuiq; eorum qui integri erant præcepit, vt propinquos ſuos qui dijs ſacrum fecisſent, morte mulctaret: quod cùm ab illo factum eſſet, cęſorū numerus fuit quatuor & viginti millium. Idem tamē qui Dei præceptis paruiſſet ſemper, nunquam eius voluntatem offendiſſet, eundemq́; rerū omnium præpotentē eſſe & ſibi & ſuis perſuaſiſſet, in re vna de eius poteſtate dubitauit. Nam cùm ad Cades vrbem in ſolitudine Sin populus ob aquæ penuriam in Deum, Moſemque & Araonem pontificem eius fratrem dicerent, ſeq́; ab eis ex Aegypto in tam vaſtas ſolitudines, quæ nec arari, nec fruges vllas & fructus ferre poſſent, nec aquam præberent, ad certam & ſuam & iumentorum mortē eductos eſſe quererentur, querelisq́; eorū impulſus pronus humi cum fratre Deum ſupplex rogaret, vt clamorem populi audiret, eiq́; aquam largiretur, quo eius querelæ deſiſterent: Deuſq́; ei præcepiſſet, vt virga aut bacillo ſaxum feriret, ex quo aquarum vis magna eruptura eſſet: is conuocato ad ſaxum populo, verbis vſus eſt eiuſmodi, quæ animi

illius dubitationē cùm semel atq; iterum saxum percussisset, planè declarauerunt. Quod adeò molestè acerbeq; Deus tulit, vt ab eo atq; fratre quòd ipsi nō credidisset, populum in terram, quam ei daturus esset, introductum iri supplicij causa negauerit. Nec verò illius animum, quem ad tempus hac re offensum putaret, vnquā posteà placare potuit. Nam cùm Aarone fratre paulò pòst mortuo, victis cęsisq; multis Regibus ac populis, Cananæo, Seoniano, Basano, Madiano, ad Iordanem fluuium peruenisset, precari Deum cœpit, vt sibi cui ad illud tempus potentiam suam in vincendis tot tamque potentibus populis, patefecisset, traijcere Iordanem & terram opimam cernere liceret: sed tantū abest, vt eum audierit, vt vetuerit, ne pòstea vnquam de ea re ageret, eiq; præceperit, vt in Phasgæ montis cacumen ascenderet, ex quo in omnes partes oculis ea loca, quę populus possessurus esset, ipse autem aditurus non esset, lustraret. Ex quo intelligi par est, principibus ijsq; omnibus, quorū imperio alij sub sunt, peccatum quod etiam leuissimum putetur, vt grauissimum propter exemplū esse fugiendum. Antè autem quàm moreretur

retur quadragesimo anno, quàm populú ex Aegypto eduxisset, Calendis vndecimi mensis, iussu Dei breuiter primùm quæ in solitudine gesta essent, commemorauit: deinde omnia legis capita repetiuit, longaque Dei beneficiorum commemoratione omnes ad eius leges seruandas hortatus est. Quæ cú & studiosissimè & officiosissimè fecisset, duodecimq; tribubus singillatim bene precatus esset, ac Iosue appositis manibus, Dei spiritum ad ritè fungendum idé munus, largitus esset, tum deniq; conscenso Seb monte, cincunspectis ijs locis, monstrante Deo quę eis concessurus esset, centesimo & vicesimo ętatis anno mortuus est, nec eius sepulchrum nemo homo vnquam aut vidit, aut inuenire potuit. Eum Iudæi triginta diebus continuis luxerunt.

AARONIS MOSIS FRATRIS Vita.


Aron Mose fratre, tribus annis maior fuit. Eum Deus Mosi qui se impeditę linguę esse dixisset, quòd eloquentia eius confessione valeret, adiunxit ad obeundú legatio-

legatiõis munus,quo apud Pharaonẽ Aegypti Regem vtrunq; fungi voluit.Itaque Aaronẽ verba facere apud populũ voluit pro Mose fratre:Mosem Aaroni pręesse ijs in reb⁹,quæ ad ipsum pertinerẽt.Nec verò apud populũ solùm,sed etiã apud Pharaonẽ verba facere Deus Aaronẽ voluit:eumque Mosis quẽ Pharaonis Deũ esse iussit; prophetam vatemq; fore dixit. Missus est autẽ cum fratre ad Pharaonẽ Aegypti Regem de Hebræorũ,qui graui seruitute premebantur,liberationę:quam legationẽ ex Dei præscripto obijt tanta fide & constantia,vt regis irati minas contempserit.Quibus quotq; malis & calamitatibus Pharaonis contumacia Aegyptij omnes oppressi sint,quoniã in Mosis vita cõmemoraui, nõ necesse habeo hoc loco repetere, ne in eo longior ponatur oratio. Itaque ad ea quæ Aaronis propria sunt,veniẽdum est. Cum Hebræos Pharao malis,quibus ipse atque eius populus oppressus est,coactus tãdem aliquãdo liberos abire siuisset, traiectoq; mari rubro, quod eis aquis in duas partes diuisis facilé transitum dedit,ad Sin montis solitudinem omnes peruenissent: Deus Mosi quem ad se in montem solum accersisset,

cerſiſſet, primùm leges decem quas in tabulis duabus lapideis ſcripſit, populo promulgádas dedit: deinde alias etiam leges, tũ exemplar & ſimilitudinẽ ei oſtendit, ad quam tabernaculum quod templi loco futurum erat, & quæ ad illud pertinebant, illum facere vellet: poſtremò Aaronem fratrem illius ſe delegiſſe dixit, qui maximi pontificis munere in re diuina procuranda & facienda in tabernaculo fungeretur: quod quidem ad illius laudem & dignitatem valet plurimũ. Nam cũ is ſummus eſſet honoris gradus, eumq; Deus illi potiſſimum mandarit, ex eo magnam de illius ſanctimonia & virtute opinionem eum habuiſſe intelligimus, eoq; maiorem, quòd Ieſu Chriſti æterni veriq; pontificis ſpeciem primus geſserit. Semel enim quotannis in adytum tabernaculi, taurorum aliarumque beſtiarum, id eſt alienum ſanguinem inferebat, eumq; pro populi peccatis offerebat, Ieſum Chriſtum multò antè ſignificans, qui ſuo ſanguine quo genus hominum redemit, ſemel in verum tabernaculum, id eſt in cælum, profectus eſt. Summum autem eum dignitatis locum veſtes, quibus põtifex in ſacris vtebatur, populo

augustiorem honoratioremq; reddebant. Tunica erat hyacinthina, ora textili ea specie, quam præ se fert cappa quam vocant: ita tamen vt ad imas partes malis punicis tintinnabulisq; aureis alternis distinguerentur: ad humeros annexa ei erat tunicula pretexta ex auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, siue distincto, byssoque retorta opere vario: ita tamen vt vtriusque lateris oræ ad summam partem inter se cohærerent. In oris gemmæ duæ onychinæ, in quarum vna sex, in altera totidem liberorum Iacob, qui Israel appellatus est, eo ordine quo quisq; natus est, nomina incisa erant opere gemmarij, inclusæ auro visebantur, vt eorum memoria coleretur. Eodem opere textili ad pectus insigne quoddā adherebat, quadrata figura quæ palmū equabat, in quo quatuor ordinibus ac versibus duodecim gemmæ auro inclusæ ita herebant, vt in primo ordine sardius, topazius, & smaragdus, in altero carbunculus, sapphirus, & iaspis: in tertio linguri⁹, achates, amethistus: in postremo, chrysolitus, onychinus & beryllus viserentur, incisis & cęlatis duodecim liberorū Iacob nominibus. Hoc insigne τὸ λογικὸν dicebatur, q rationis

rationis & iudicij index eſſet, quaſi pōtifex Iudicium liberorū Iacob geſtaret: à collo autem non pendebat, ſed vncis aureis atque anſulis quatuor cum vtraque ora eius togæ, quam ad humeros hæſiſſe dixi, cohærebat. Tiaram quoq; byſſinam in capite geſtabat, ex qua lamina aurea vittæ hyacinthinæ annexa, in qua hæc verba (Sanctum Domino) opere cęlatoris inciſa erat, ita pendebat, vt ſemper fronti eius immineret. Quæ quidem omnia aliaque nonnulla, quæ prætermitto, non eſt dubium quin maximo pontifici maximam dignitatem afferrent, ex eiſq; ſummam à populo venerationem haberet. Atq; hęc apud homines. Deus autem quantum eius preces apud ſe valerent, multis locis confirmauit: quippe qui cum pro ſuo quiſq; ſcelere, aut labe & macula, quam ex lege ſuſcepiſſet, eam hoſtiam offerret, quā lege præſcripſiſſet, ita deniq; pollicitus ſit veniā ſe eſſe daturum, ſi ſacerdos ipſum, vt ei ignoſceret, rogaret. Ritus autem ſolennis quo ſacerdotiū iniuit, cęteriq; omnes qui illud eo mortuo adepti ſunt, erat huiuſmodi. Abluebatur primū aqua, cū Deo oblatus fuiſſet, deinde tunica linea, alijſq; veſtibus

quas

quas paulò antè enumeraui, amiciebatur; tum oleo quod vnctionis vocabatur, (conficiebatur autem ex myrra primi generis, cynnamomo, calamo, casia, oleoq; oliuarũ) caput eius perfundebatur: tũ vitulus pro peccato immolabatur, & aries qui cremabatur, appositis vtriq; manibus pontificis; alter etiam aries eodem ritu immolabatur consecrandorum instituendorumq; sacerdotum gratia, cuius immolati sanguine extrema pars auris põtificis dextra, manusq; dextræ ac pedis pollex tingebatur: tum ex canistro quod erat in tabernaculo, & pòst in templo, panis sine fermẽto, & collyrida oleo perfusa, & laganum in adipibus cum armo dextro adhibebantur: omniaq; hæc pontifex accepta erigebat, eademq; reddita in ara odoribus incensis perfundebantur: prætereà sanguine qui in ara erat, vnguentoq; ipse vestesq; eius aspergebátur. Septem diebus hæc siue consecratio, siue deuotio, siue institutio aut initiatio, in cõspectu populi cõplebatur, quibus à tabernaculo & pòst à templo eum discedere nefas erat: carnibus, & panibus sacris, quantũ satis erat, vescebatur, quicquid reliquum erat in ignem conijciebat. Postridie initiationis

tionis vitulum expiandi peccati sui causa, arietemq; in holocaustum vtrunq; sine macula immolabat; præcipiebatq; populo vt hircum afferret, quem illius peccati expiandi causa immolaret, vitulum, agnumq; anniculum, in holocaustum & vtrũq; sine macula, bouem & ouem pacis causa, similamq; oleo perfusam: cùm hæc omnia immolabat, Deum vt & sibi & populo ignosceret, rogabat. Quibus ritè perfectis, populo bene precabatur. Verba autem solennia, quibus bene precando vtebatur, hæc erant: Benedicat tibi Dominus, teq; tueatur. Ostendat Dominus tibi faciem suam, tuiq; misereatur. Os suum Dominus ad te conuertat, tibiq; det pacem. Quotidie duo sacra ex lege faciebat: vnum mane, quod agnum anni vnius, decimam partem similæ quæ oleo tuso perfusa erat, & vinum habebat: alterũ vesperi, quod ijsdem rebus, eodemq; ritu cõstabat. Erant etiam solennia sacra alia quinq;, Phase, id est pascha, à quartodecimo primi mẽsis die vesperi ad primum & vigesimum, quorũ septem dierum primus & septimus festi erant: hos septem ex eo die quo liberati sunt à seruitute Aegyptiorum, quotannis celebrabant.

Secundum

Secundum sacrum solenne Pentecoste dicebatur, id est quinquagesimus dies quàm manipuli ex primis frugibus Deo cõsecrati fuissent. Præceperat enim suis Deus, vt cum in eam terrã, quam eis daturus esset, opimam & fertilissimam, quasi in rem præsentẽ venissent, post messem quotannis ad pontificẽ manipulos ex primis frugib' portarent, quos postero die ipsi consecrarent, agnusq; anni vnius immolaretur in holocaustum, & cũ eo duæ decimæ similę oleo perfusæ ac vinũ libarent; quo ex die quinquaginta dies numerarent, & quinquagesimum celeberrimũ sanctissimumq; haberent, in eoq; panes duos duarum decimarum similę fermẽtatæ, ex primis frugibus; septem præterea agnos anni vnius, vitulũ vnum, arietes duos in holocaustum cũ libamentis suis, hircum pro peccato, duosq; alios agnos anni vnius pacis causa per pontificem offerrent & immolarent; quæ omnia ad pontificis vsum reseruarentur. Septimo mense reliqua tria sacra faciebãt, primo die diem festum tubarum agebant, holocaustumq; per pontificem immolabant. decimo festum diem expiationum, quintodecimo feriæ tabernaculorum, septem

diebus holocausta offerębãtur, dies etiam octáuus erat celeberrimus atq; sanctissi-mus. Die primo fructus arboris pulcherri-mæ decerpebant, spatulas palmarũ, ramos ligni densarum frondium, & salices ex tor-rente: singulis diebus sua cuiusq; sacra so-lennia faciebant. Atque hæc quidem sacra stata erant & solennia: alia erant non solen-nia, sed pro re nata, aut pro cuiusq; religio-ne, peccato vel impuritate, quę prætermit-to, ne sim longior. Quæ autẽ adhuc cõme-moraui, eò cõmemoraui, vt quid quoq; diẽ AARON pontifex operis certi ageret, omnes intelligerent: cũ intellexissent, ex eo illud etiam intelligerent, quàm acceptum & gra-tum DEO officium fuerit, quo fungeretur. Neq; enim de illius animo & religione du-bitare debemus, quem cæteris à Deo vide-mus esse præpositum, vt sibi hostias immo-laret. Quanquam ex vno facto de cæteris coniecturam facere possumus. Paulò antẽ maximi pontificis esse dixi, Deũ precari, vt populo peccanti ignoscat. Cum Dathan & Abiron eosq; omnes, qui cum illis in Mo-sem & Aaronẽ coniurassent, dehiscẽs terra absorbuisset, postridieque eius diei, orta seditione & motu, populus vtriq; tot ho-

minum

minum mortis caufam daret, Deusq́; eis in tabernaculo fœderis, quò quaſi in aſylum confugerant, præcepiſſet, vt ſe à multitudine quã deleturus eſſet, ſecernerent: Aaron Moſis iuſsu, qui irã Dei iam deſæuire cerneret, thuribulo arrepto in medium populum ſe immiſit, atq; inter viuos & mortuos ſtans, incenſis odoribus, Deum vt populo propitius eſſet precatus eſt, ſtatimq́; incendij, quod iam multitudinem conficiebat, finis fuit. Poſtridie eius diei, aut eo ipſo die, magnã eius virtutis ac fidei in ſe Deus populo ſignificationẽ dedit, ne deinceps vlla rebellio aut ſeditio oriretur. Moſi enĩ præcepit, vt ſingulas virgas à ſingulis tribuum principibus, id eſt duodecim, acciperet, in eiſq́; nomen vniuſcuiuſq; ſcriberet, & Aaronis nomẽ in tribu Leuina eſſet, eaſq́; omnes in tabernaculo fœderis locaret: eumq́; monuit, fore, vt quem ex omnibus potiſsimum deligeret, eius virga in gẽmas erumperet, atq; ita querelas populi in eum & fratrem murmurantis ſedaret. Cum acceptas virgas Moſes in tabernaculo reliquiſſet, poſteroq́; die reuerſus, illã Aaronis non ſolùm in gemmas, ſed etiam in flores, qui folijs dilatatis in amygdalas

formati

formati erãt, erupisse animaduerteret,om nes ad populum protulit. Cumq; omnes rem vt nouam admirati essent,& suá quisque recepisset,tum iusit Deus Mosem Aaronis virgam in tabernaculum reportare, vt ibi rebellionis populi significandæ ac prodendæ causa seruaretur; motusq; eius ac murmur sedaretur,ne perirent. Ea pòst in arca iussu Dei recondita est.

Liberos quatuor ex vxore sua suscepit, Eleazar,Nabad,Abiu, & Ithamar, qui omnes iussu Dei cum illo sacerdotes initiati sunt & instituti: sed paulò pòst Nabad & Abiu cùm alienum ignem sponte sua,nullius iussu arreptũ atq; in thuribulũ cũodoribus infusum obtulisset, igne perierunt. Si omnia velim commemorare, quæ possum,omnia ferè quæ in Mosis vita dixi,repetenda erunt.Itaq; paucis quæ restant cõtenti esse debebimus. Cùm Moses in Sina monte quadraginta dies ac noctes cõmoratus est, tum cum duarum tabularũ leges decem à Deo latas & scriptas accepit,populus qui illum diutius quàm vellet,in monte commorari videret, ad Aaronẽ infesto animo venit,cõtenditq; ab eo,vt sibi DEOS quorum ducibus in via vterentur,faceret,

quòd Mosi qui ipsum ex Aegypto eduxisset, quid accidisset, ignoraret. Aaron in re tam magna, qui furorem populi cóprimere se posse desperaret, nisi rerum quæ populo charæ essent, amisione, viris id cósiliũ dedit, aut imperauit, vt inaures aureas ex vxorum liberorumq; suorum auribus detractas ad se afferrent. Nec verò rerum etiam charissimarum certa amissio eos à semel suscepto conceptoq; facinore retardauit aut deterruit. Inaures em̃ suas quisq; libenter tradidit, quas cum Aaron accepisset, opere fusorio ex eis vitulũ fecit. Qué cùm populus vidisset, illum Deum esse dixerunt, à quo ex Aegypto educti essent. Quinetiam Aaron aram ei ædificauit, prçconisq; voce edixit, postridie Domini festum diem fore. Itaq; omnes manè conueniẽtes, holocausta & hostias pacis causa immolarũt, sacrisq; escis se contaminauerũt. Hoc statim Moses patefaciente Deo resciuit, cuius iussu cũ è monte descendens castris appropinquasset, cóspecto vitulo, primum tabulas confregit, deinde arreptũ vitulum combusit: tum Aaronem grauiter obiurgauit, quòd populũ in tam immane scelus præcipitem dedisset. Aaron nihil habuit

buit quod afferret,& excuſaret,niſi populi ad peccandum procliuitatem, ijs omnibus expoſitis, quibus à populo ad illud facinus impulſus eſſet. Itaque eum rogauit, vt Dominum,ne ſibi ſuccenſeret,placaret. Hinc Moſes nihil in fratrem grauius conſuluit,tantumq́; ira eius in facinoris auctores deſęuit. Nam cùm eos qui à Domino ſtarent, vt ad ſe venirent, monuiſſet, omneſq́; Leuinæ tribus homines conueniſſent,eius iuſſu quem Dei eſſe dicebat, tria hominum millia interfecerunt. Pontificis munere ex Dei voluntate ac ſua dignitate quadraginta annis,quibus in ſolitudine Hebræi commorati ſunt,functus eſt. Quadrageſimo enim anno quàm ex Aegypto educti fuiſſent, calendis Quintilibus cum tres & octoginta annos compleuiſſet, in Hor mõte è vita exceſsit.Pręceperat enim Moſi Deus, vt eum in montem illum cum Eleazar eius filio duceret, ibiq́; ei veſtem detraheret,qua filium amiciret:fore enim vt moreretur,quòd ſibi ad aquas non crediſſet: quod in Moſis vita commemorauimus. Eum triginta diebus multitudo luxit.

IOSVE VITA.


Osue tribus Ioseph qui antea Osee dicebatur, Nun siue Nauæ filius, iussu Dei appellatus est, idemq; interdũ Iesus, quod nomen conseruatorem declarat, dicitur. Is Mosis primùm puer & minister fuit, deinde succesit in eius locũ, perduxitq́; Hebręos in terrã, quã multò antè se eis daturũ esse Deus promiserat, nec perduxit modò, sed inter eos diuisit. Quod ad mun' cur à Deo delectus sit, & quemadmodum eo pro dignitate sua, & Dei voluntate functus sit, dicendum est. Prima eius mentio quę quidẽ honori illi fuerit, & dignitati, in prælio quo dux pro Mose Amalecinos fudit, fugauit, atq; interfecit, inuenitur. Nam cùm Amalec sua sponte in Hebræos in Raphidin solitudinẽ infestũ exercitum pugnãdi causa eduxisset, Mosesq́; eius consilio cognito Iosue, de quo dicimus, vt delectũ virorũ haberet, prçliumq́; iniret cum Amalecinis, imperauisset, isq́; quamprimùm strenuè imperata fecisset, ipse cum Aarone & Hur in cacumẽ montis ascẽdit. Ibi, cùm iã atrox & grauis pugna cõmitteretur. Mose manus quidem erigente, Hebrçi in campo

po duce Iosue vincebant, remittente autē easdē, quas graues senectus reddebat, Amalecini vincebant. Quod cū Aaron & Hur animaduerterent, sessum Mosem ad saxum ducunt, eiusq́; manus ex vtraq; parte sustinent: quo factum est, vt cum eius manus ad solis occasum minimè defatigarentur, Iosue Amalec vnà cū suis fugauerit, fugatum interfecerit. Tum Deus parta victoria Mosi negotium dedit, vt eius facti memoriam literarum monimentis proderet, Iosueq́; traderet. Quæ quidem victoria etsi Mosi precanti secundùm Deum tribuenda est, tamen Iosue in illius laudis societatem venit, quem Moses vnum ex omnibus maximè ducem eius belli profligandi delegit. Tumq́ue compertum est parum arma foris posse, nisi vel vnius viri optimi, vel multorum preces, Deum qui victoriam dare vnus potest, placauerint. Cùm Hebræi in Pharania solitudine castra posuissent, Moses iussu Dei duodecim principes duodecim tribuum, in his Iosue, in terram chananæorū, quam eis Deus daturus esset, misit, qui eam consyderarent, atq; ex eius fructibus afferrent. Regione diligenter inspecta & lustrata, quo-

niam tempus erat,quo vuæ præcoces viſun tur,palmitem cum vua ſua tantę magnitudinis pręciderunt, vt à duobus viris eam portari oporteret. Quadrageſimo die cum reuerſi eſſent, aliją; in cœtu populi Moſe & Aarone pręſentibus regionem laudarét à fructu quem viderent, ſed ab ea omnes propter incolas quorũ fortitudini reſiſti non poſset,& vrbes quæ eſsent munitiſsimæ,retardarent ac reuocarẽt: ex eorumq́; illo ſermone motus populi tãtus ortus eſſet,vt Moſi & Aaroni ſatius eſse in tã vaſta ſolitudine interire dicerent, quàm in terram illam introducerentur,ne gladio perirent,vxoreſq́; ac liberi in hoſtium poteſtatem venirent,iamq́; de duce deligẽdo,qui ipſos in Aegyptum reduceret, inter ſe colloquerẽtur: atq; ea cum audiſsent Moſes, & Aaron, in conſpectu populi in terram proni cecidiſse: Ioſue extitit vnà cum Caleb Iudainę tribus,qui eos cõmendata laudataq́; regionis bonitate,ne Dei voluntati vt rebelles obſiſterent,multis verbis hortatus eſt. Sed tamen efficere tantum dicendo non potuit,quin clamore ſublato lapidibus vtrunq; obruere vellent,feciſsentq́; niſi Deus, cùm illi in eo conſilio permane

rent,

rent,populi perfidiã grauiter obiurgasset primum, deinde omnes se deleturũ peste dixisset. Moses cui hæc Deus diceret,eum rogare minimè destitit,quoad placidũ aliqua ex parte reddidit. Eius enim precibus adductus Deus,genus mortis mutauit,tantumq; dixit, eorũ qui ex Aegypto educti essent,pręter Iosue & Caleb in terrã illam quam contemnerent,peruenturũ esse neminem. In locum autẽ Mosis successit hoc modo Iosue. Cùm Moses saxum bacillo eliciendæ aquę causa populo murmuranti bis percussisset,vsusq́; esset verbis apud populum, quibus Deo se non planè credere ostendit: ea re adeò offensus est Deus,vt ei in terram quam populo suo daturus esset, aditum negauerit. Itaq; ei præcepit,vt Iosue qui eò populũ ducturus esset, terrãq́; diuisurus,doceret,ac cõfirmaret,ne timeret. Quòd cùm multis verbis fecisset, in Phasga monte mortuus est,cũ manus suas Iosue apposuisset, ex qua re spiritu sapientię Iosue cõpletus est, ex eoq; tempore ei Hebræi nõ secus ac Mosi parere cœperũt. Quinetiam Deus Mose mortuo statim cum eo, vt cum Mose solitus erat, locutus est his verbis, Moses seruus meus excessit

 è vita

è vita: traijce Iordanẽ hunc cum vniuerso populo: omnẽ locũ, in quo pedũ vestrorũ vestigia fixeritis, vobis tradã: nemo vnquã vobis poterit resistere. Quemadmodum Mosi affui, sic tibi adero: nec tibi vsquam deero. Itaq; bono fidẽtiq́; esto animo, forte enim terram populo diuides. His verbis Iosue, alijsq́; Dei confirmatus, principes populi conuocauit, eisq́; præcepit, vt populus ad traijciendũ flumẽ triduo pòst commeatus cibariaq́; cõpararet, eoq́; die armati omnes Rubenianæ & Daninæ tribus, qui cis Iordanem loca ad incolendũ accepissent, præmitterentur. In illa autem quasi expeditione eum se ducem præstitit, vt omnia Dei iussu ac præscripto egerit, nihil contra eius voluntatem fecisse videatur. Nam posteaquàm animos omniũ suorũ ita paratos esse cognouisset, vt ipsi non secus ac Mosi se dicto audientes fore promitterent, qui non pareret eius præceptis, is morte mulctaretur, tantumq́; se virum præstaret: antè quàm pedẽ quisquam moueret, speculatores duos clã mittẽdos censuit, qui loca vrbemq́; Hiericho considerarent. Illi vrbem ingressi, ex scorto Rab nomine, ad quam diuerterant, & apud quam

quam commorati ſunt, compererunt, rumore ac recordatione eorum malorũ,quę Deo adiutore in traiectu maris Aegyptijs, & poſtea pleriſq; populis ac regibus accidiſſent, tanto metu omnes perculſos eſſe, vt facilè quaſi primo impetu eodem Deo vindice regionem illam atq; vrbem capere poſſent. Aduentus eorum ſtatim fama ad regem peruagata eſt.Itaque miſit,qui Rab imperarent, vt ſpeculatores produceret. Illa primum eos veniſſe cõfeſſa eſt,deinde pio quodam officioſoque mendacio vſa, abijſſe dixit. Illi qui verum mulierem dixiſſe putarent,eos inſequi cœperunt, cùm interim illos duos,quos in ſumma parte ædium ſtipula occultauerat,monet, vt fuga ſibi ſalutem quærant, ac ne in eos fortè inciderent,in montes ſe recipiant, ibiq́; ſe triduum contineant:oratq́; vt iurent,ſe in vrbis expugnatione ſibi parem gratiã eſſe relaturos. Cum id ſe facturos eſſe ſanctè promiſiſſent,funiculumq́;coccineum,quẽ illa è feneſtra appẽderet,fore pro teſtimonio dixiſſent: è feneſtra quæ muris vrbis adhęrebat,elapſi,in proximos montes qui deuij erant,confugerunt. Triduo pòſt ad ſuos reuerſi,omnia quæ comperiſſent,or-

dine narrarunt. Iosue speculatorum sermone confirmatus,meliorecq; animo prædítus,noctu castra mouet:ad Iordanem cũ ventum esset, triduo ibi morati sunt. Ipse triduo pòst per præcones præcepit, vt ordine cuncti incederẽt, nec antè quisquam pedem loco moueret,quàm sacerdotes antecedentes cubitorum duûm millium interuallo semper abessent: ipsi se sanctos castosq; præstarẽt,quod postero die magna miraq; opera Deus apud illos editurus esset. tũ Deus ei dixit venisse tẽpus,cùm faceret,vt apud populum in nomine esset & gloria; intelligeretq; idem se cum illo ita esse, vt cũ Mose fuisset.Itaq; sacerdotibus præciperet,vt cùm partẽ Iordanis traiecissent,ibi manerẽt: tũ enim fore, vt aqua ea quę deorsum laberetur,sic tota in mare influeret,vt ne gutta quidẽ extaret,superior autẽ sic tota insisteret, vt altissimorũ montiũ speciẽ præberet. Quæ diligẽter omnia Iosue cùm suis exposuisset, castra mouerũt.Ad Iordanẽ autẽ cũ peruenissent sacerdotes, repentè amnis in duas partes sicuti Deus fore prædixerat, diuisus est, transitumq; populo vt per terrã præbuit. Cuius tãti beneficij sui in suos Deus, vt posteris memo-

memoria æterna proderetur Iosue imperauit, vt duodecim viros singulos in singulis tribubus deligeret, qui ad eũ locum in quo sacerdotes cum arca starent profecti, ex Iordanis alueo duodecim lapides durissimos tollerent, eosq́; in loco in quo castra proxima nocte locarent, ponerent: aliosque duodecim in medio Iordanis alueo, qua in parte sacerdotes steterunt, figi voluit. Traiecto ita flumine, aquæ nõ minore miraculo in suũ locum reuersæ sunt, quàm ab eo discesserãt. Horũ tã inusitatorum operũ fama statim apud finitimos reges ac populos percrebruit, tantumq́; omnibus incussit metũ, vt cadentibus animis exhaustoq́; spiritu, Hebræorũ aduentũ vehemẽter timerent ac suspectũ haberẽt. Itaque eorũ metu vrbis Hiericho portæ clausæ erãt, nec cuiquã intrare, aut egredi licebat. Eam autẽ vrbẽ septimo obsidionis die cœperunt, hoc quasi stratagemate diuino. Præcepit Deus Iosue, vt sex diebus omnes armati, semel quoq; die circum illam ambularent: septimo autẽ die sacerdotes septem buccinis septies arcam antecedentes clangerent in vrbis circumitione, sequẽtibus cæteris: quo toto tẽpore nemo clamo-

rem

rem tolleret aut quicquam diceret, nisi cũ longior buccinæ clangor exauditus esset, quo exaudito maximum clamoré omnes tollerent: tum enim deniq; funditus vrbis muros casuros esse scirent, quorum casu ruinaq; perspecta & animaduersa, animorum speiq; pleni, suo in vrbem aduentu & introitu omnia caperent, diriperent, & interficerent: tantùm Rab de qua diximus, parcerent, nemo se pręda sacra contaminaret. Hæc eo ordine populo Iosue, quo à Deo ei mandata erant, narrauit: quæ cùm in expugnatiõe vrbis obseruata sunt, eum euentum res habuit, quem Deus fore prędixerat. Concessus est ac datus Rab inter Hebræos ad habitandum locus. Hiericho capta, speculatores Iosue qui vrbé Hai cõsyderarent, misit. Ij reuersi mittenda esse tãtùm duo aut tria virorum millia ad eam dixerant, nec minimè necessario labore fatigandam esse multitudinem, cũ Iosuę eorum consilijs parens tria millia hominum misit. Illi primo hostium impetu fugiẽtes, ex eisque tres & triginta cæsi & interfecti tantam reliquis trepidationem attulerũt, vt quid agerent, prorsus ignorarent. Quin etiam Iosue quem ducé suis, vt dixi, Deus

dederat,

dederat,tam trifti nuntio exanimatus,difcisis laceratisq; veftibus primum lachrymas profudit,deinde cum maioribus natu populi ex eo tempore ad vefperum fe pronum in terram ante arcam fœderis proiecit,egitq; cum Deo his verbis, cùm fe miferum calamitofumq; dixiffet, Cur populum fuum Iordanem traijcere voluiffet, vt eum Amorrhæi libidini dederet atq; deleret? fatius fuiffe trans Iordanem,vt cœperat,fedes habitandi caufa querere:nihil habere fe quod diceret, cum populum fugientem cerneret. Hoc audituros effe Chananæos,omnesq;eorum locorum incolas, qui contracto comparatoq;exercitu facilè omnem multitudinem delere poffent,nifi prouideret. Deus vt furgeret imperauit. Non ei mirum id videri debere,cum populus cōtra voluntatem præceptumq; ipfius facra præda fe contaminaffet.Se pro eis ftare non poffe,nifi is qui tanto fcelere fe cōtaminaffet,obtereretur. Itaq; hoc populo denuntiaret, pofteroq; die forte ad quem illud facinus pertineret,ageretur,& qui in eo deprehenfus effet,is viuus combureretur.Re ex voluntate Dei populo fignificata,inuentus eft Achan tribus Iudainæ:qui

à Iofue

à Iosue rogatus, cõfessus est, se auaritia impulsum cùm pallium coccineũ, aliaq; nonnulla inter spolia animaduertisset, abstulisse: quæ cùm prolata essent, vnà cum cæteris bonis exusta sunt; ipse lapidibus obrutus est. Atq; hoc modo Deus placatus est. Itaque paulò pòst Iosue imperauit, vt armatos mitteret, qui ex insidijs vrbem, oppidanos, regemq; caperent, homines interficerent, bona diriperent, atq; inter se spolia diuiderent. Consilium militare huiusmodi fuit. Triginta armatorũ millia delegit Iosue, eisq; imperauit, vt post oppidũ in insidijs essent, nec longiùs abirẽt, sed parati essent, cùm ipse atq; cæteri simulata fuga, in oppidanos, qui fugientes persequerentur, impetũ facere. Hoc tamen consilium mutauit Deus. Nam cùm Iosue cũm suis simulata fuga cederet, Haianique ad vnum omnes cum rege eos insequerẽtur, Deus Iosue monuit, vt clypeum pro signo tolleret: quo sublato ij qui in insidijs erãt, vrbem cœperunt, atq; incenderunt. Haiani autem cum fumum in cœlum ascendentem animaduertissent, longiùs progredi non potuerunt. Nam & Iosue cum suis restitit, & ij qui vrbẽ incendebant, à tergo

eos adorti sunt. Ita cum vtrinq; vallati essent, omnes, qui erant duodecim millia, interfecti sunt, rex in crucē actus est. Parta victoria, Iosue Deo aram lapidibus rudibus & impolitis ædificauit, hostiasq; in holocaustū & pacis causa immolauit, quēadmodum à Mose faciendum didicerat. Fama eorum quæ vrbi Hiericho & Hai Hebręi fecerant, exciti populi regesq; omnes finitimi, comparatis contractisque copijs, cum Iosue vno animo eademq; sententia pugnare decreuerant. Gabaones autē astuto callidoq; consilio vsi, cùm finitima loca incolerent, panes qui iam vetustate in frustra comminuebantur, calceos, saccos aliaque omni quæ facilè antiquitatem indicarent, sumentes quò faciliùs se ex longinquis regionibus venire fidem facerent, de pace ad Hebræos venerunt. Iosue qui neū consulere prætermisisset, cum eos à suis missos esse de pace, propter famam eorū, quæ ab Aegypto ad illa loca vbiq; fortissimè maximaq; cū omniū admiratiōe gessissent, cognouisset, longiorisq; vię ea quę cōmemoraui, argumēto esse dixissent: facilè pacē cū eis fecit, quā etiā principes iurisiurādi religiōe confirmarūt. Triduò pòst

motis

motis castris ad oppida eorũ peruenerunt: quod cùm multitudo resciuisset, cõqueri cœpit, ac quodam modo inuehi in principes, qui tam iniquum fœdus inijssent. Illi nec vulgi motũ sedare, nec se purgare nisi iurisiurandi religione potuerũt. Eò enim se adactos dixerunt, nec se illos audere cõ tingere, ne si facerent, grauiore scelere, id est periurio tenerẽtur. Quòq; multitudo æquior esset, negarunt eos locum inter illos nisi seruorum & operarum esse consecuturos. Quod etiã Iosue auctoritate sua decreuit, vt ligna cæderent, aquamq́; com portarent. Exponã deinceps quod siue rei nouitate, siue magnitudine maximam Iosue gloriam peperit. Eius enim siue imperio, siue precibus sol institit, quandiu voluit, id est quoad quinq; Reges, eorumq́; exercitus Hebræi victoria parta, fuderũt, fugarunt, atq; interfecerunt: nec longiorẽ illo diem ante illud tempus, nec postea fuisse, memoriæ proditum est. Adonisedec Rex Hierosolymitanus, cùm cladem qua Hebræi vrbem Hai affecissent, auditione accepisset, fœdusq́;, quod cũ Gabaonibus fecissent, magno metu perculsus quatuor Reges finitimos ad belli societatem vocauit,

uit, vt cõtractis copijs Gabaonem oppugnarent, ac vi caperent: propterea quod Gabaones se cum Iosue coniunxissẽt. Obsessa vrbe à quinque Regibus, Gabaones statim miserunt, qui periculum Iosue nuntiarent. Ille confestim comparato ingenti exercitu eò magnis itineribus contendebat: cũ Deus eum monuit, vt magno fidentiq; animo esset, quòd ea victoria potiretur, vt ne vnus quidem hostiũ pugnæ superesset. Ita animi speique plenus nocte insequẽti progredi nõ destitit, quoad hostes impetu facto, turbatis à Deo eorum ordinibus, fudit & fugauit, fugatos diu persecutus est, multisq; interfectis gladio, multò plures Deus grandine prostrauit. Cumq; satis lõgus is dies ad delendos hostes minimè videretur, Deum Iosue rogauit, vt Sol ac Luna insisterent, id quod impetrauit. Sol eñ diei vnius spatio non occidit, maxima omnium admiratione. Quinq; Reges fugientes in speluncam se abdiderant. Hoc cum Iosue nũtiatũ esset, suis præcepit vt saxa ingentia ad os speluncę voluerent, ac nõnullos qui inclusos custodirent, relinquerẽt. Eodem die paulò pòst eductos & extractos. Primùm pedibus obteri ac suffocari,

M dein-

deinde in furcis suspēdi iussit: vesperiq́; cadauera in eandē spelūcā in qua delituerāt, viui proijci. Tum eorum oppida cepit, interfectis oppidanis omnibus. Nec verò minus clara cruentaue fuit victoria, qua nec ita multò post potitus est. Iabin Asor rex, cùm ad eum fama harum tantarum cladiū peruenisset, finitimos Reges permultos ad societatem belli hortatus est: qui cùm omnes cōtracto ingenti exercitu, infestis animis atq; armis vnum in locum conuenissent, vt cū Iudæis pugnarent, Deus Iosue ne timeret, hortatus est, quòd postero die eos ea ipsa hora superaturus esset. Quę res euentum eundem habuit, simulatq; Iosue suos in illos eduxit. Omnes enim primo statim impetu fusi fugatiq́; sunt: quos cùm fusos persecutus esset, vniuersum exercitū deleuit, nemine superstite qui suis cladē nuntiaret. Hinc eorū captis oppidis, interfectisq́; incolis, prædam inter suos diuisit. Pace ita Iudæis terra mariq́ue à Deo Iosue duce data & concessa, cùm prouectæ iam ætatis esset, ei Deus prçcepit, vt quas regiones trans Iordanem occupasset, sorte inter tribus nouem & dimidiam partem Manassinæ diuideret. Diuisis locis ac

regio-

regionibus ea moderatione & ęquitate, vt & Deus quæ fecisset, probaret, & homines quibus præfuisset, sibi ab illo satisfactum dicerent: cùm diem mortis appropinquare cerneret, cunctas tribus cõuocauit, vniuersosq; tam singularium Dei in ipsos beneficiorum commemoratione ad legem eius atq; præcepta quibus parerent, hortatus est, & ab iis quę ei ingrata essent, pręsertim à Barbarorum institutis & moribus deterruit, eorum malorum enumeratione, quibus opprimerentur, nisi in Dei fide ac religione perstarent. Iis ita in ea sententia confirmatis, vt se Deum elegisse testarentur, ac profiterentur, quem vnum colerent, & cuius præceptis obtemperarent, ipse centesimo & decimo ætatis anno mortuus est.

IVDAE IVDICIS VITA.



IVdas, mortuo Iosue, cùm Hebræi Deum consuluissent, quem potissimùm sibi ducem præfici vellet, diuino oraculo in demortui locum suffectus est. Is Simeone fratre adiuncto cum exercitum

Dei iuſsu eduxiſſet in Chananęorũ Phære ſæorumq́; fines,eos ſuperauit, multaq; op pida,& agros cœpit.Obſeſſa autem Bezec, cum Adoni Bezec, id eſt eius oppidi ſiue Rex,ſiue dominus fugiſſet, eũ capta vrbe cæſisq́ue decem hominum millibus,inſecutus, cepit: capto primores manuum ac pedũ digitos præcidit; id quod diuinitus ſibi accidiſſe profeſſus eſt,quòd ſeptuagin ta Regibus,quos ſub menſa ſua ciborũ reliquias colligere coegerat, eaſdem partes præcidiſset. Quo quidem exemplo principes à crudelitate in eos quos ceperint,deterreri debent. Captis Hieroſolymis nec ita multò poſt, eum in vrbem duxit, ibiq; mortuus eſt. De Iuda hoc nihil præterea ſcriptum inueni.Ioſephus autem non vnũ certum hominem vult eſſe Iudam hunc, ſed tribum Iudæ: Atqui principium libri Iudicũm eum coarguit ac refellit.

OTHONIEL VITA.


Thoniel, Cenezi filius, Caleb minor natu frater. Hic primus poſt mortem Iudæ, Hebræos qui relicta neglectaq; veri Dei religione, finitimorum populorũ deos co

lerent,

lerent, ob eamq; causam à Syriæ Rege seruitute supplicij causa diuinitus opprimerentur, liberauit. Nam cùm octo iá annis, eius seruitutẽ perpeßi essent, Deus cuius fidem implorassent, Othonielem hunc excitauit, quo & iudice vterentur, & duce, Rege illo oppreßo, liberarẽtur. Iudex autem quadraginta annis fuit, quo tempore nec Deum mutauerunt Hebræi, nec ab hoste vllo oppreßi sunt.

AOD VITA.



OD Gera patre natus est. Is cũ ab Hebræis missus esset ad Eglonem Moabiæ Regem cùm donis, à quò decem & octo annos oppreßi fuerant, eiq; dixisset rem habere se, quam sine arbitris vellet exponere, egreßisq; cæteris Rex solio surrexisset, tempus eius interficiendi commodum ratus, eductam sicam sinistra manu (nam vtraque manu pro dextra vtebatur) in aluum adegit tanto conatu, vt capulus ferrum in vulnere sequeretur, nec gladium extraxit, sed reliquit in corpore: clausisq; ostijs cubiculi & sera obfirmatis, ipse per posticum egressus est. Stipatores princi-

 pis in-

pis ingressi, cùm occlusas fores cernerét, eum purgare aluum putabant. Itaque tempus expectandum censent, dum dominus ipse exiret: cùm tam diu expectassent, vt eos etiam tã longi tẽporis puderet, sibi introeundum censent. Aperto claue ostio summa cum admiratione & stupore eũ in pauimento iacentem mortuum conspicantur. Intereà Aod effugiens, suos, re nuntiata, vt se sequerentur ad Moabitarum exitium, hortatus est. Cum eũ ducẽ secuti essent, moabitarum circiter decem millia interfecerũt, eorũ captis vrbibus: inde octoginta annis in pace vixerunt.

BARAC VITA.



Arac Abinoẽ filius tribus Nephthalim. Hic Hebræos qui mortuo Aod iudice, quòd neglecta rursus Dei religione deos colerent, à Iabin Chananæorũ Rege seruitute opprimebantur, hoc modo vicesimo seruitutis annno liberauit. Debora Lapidoth vxor iudicabat populũ, eademq; vaticinandi munere prędita erat. Eã Deus, cuius fidẽ implorassent Iudęi, admonuit, vt Barac accer-

accerſeret,ei nomine ſuo pręciperet,vt decem millia armatorũ ex tribu Zabulon & Nephtalim in Thabor montẽ educeret:Sic enim fore, vt Siſaram Iabiniani exercitus ducem cum ſuis ei vincendum ipſa traderet. Barac cum Debora comparato exercitu ſtatim eò magnis itineribus contendit. Quod cum Siſaræ nuntiatũ eſſet,nongentos falcatos currus ingenteſq́; copias infeſtis ſignis eò duxit.Debora cũ procul exercitum venientem animaduertiſſet, Barac vt deſcẽderet monuit,quòd tempus veniſſet,quo Siſaram cũ ſuis vinceret.cum ſuos Barac ex monte in patentes campos duxiſſet,repentè Deus Siſaræ omniq́; eius exercitui eum terrorem aſpectu hoſtium iniecit,vt fugã capeſſerent.Siſaraq́; ipſe ex curru deſiliens pedibus fugeret: quos fugientes Barac, non ante inſequi deſtitit,quàm exercitum omnem deleret,pręter ducem, qui ex fuga ſe domum Haber Cinęi,quòd pax ei cũ Iabin Rege interceſſerat,recepit. Iahel enim Haber vxor ei obuiã prodiens, illum vt ad ſe veniret rogauerat. Is autem in ædes ingrediens, mulierẽ monuit,vt ſi quis præteriẽs, nũ quis intus eſſet quæreret,neminẽ eſſe diceret.At illa ſiue diuino

consilio vsa, siue fœderis oblita, clauum in tempora Sisarę dormiẽtis, quem pallio, ne fortè reperiretur, texerat, malleo ita defixit, vt clauus per mediũ cerebrũ ingressus ad terram perueniret. Barac cùm alijs fusis ac deletis, Sisaram quærens Haber domũ præteriret, Iahel stans pro foribus eum rogauit, vt eum quem quęreret, interfectum viseret. Cum vidisset, tum per se Deo gratias egit, deinde cum rem Deborę narrasset, vnà cum ea maximis laudibus eundem ornauit. Hac parta victoria, Iabin Regi animus cecidit, viresque & opes Iudæorum adeò pedetentim creuerunt, vt eo deleto, quadraginta annis bellum cum eis nemo gerere ausus sit.

GEDEONIS VITA.


Edeon qui etiam Ierobal dictus est, Ioas patre tribus Manasse natus est. Eum Deus ad delendos Madianos, qui Hebręos nutu diuino quòd deos colerent, septem annis oppresserant, ducẽ hoc modo delegit. Cùm in torculari frumentum purganti angelus Dei salutẽ dixisset hanc,

Salue,

Salue, Dominus tecũ, virorum fortiſſime. reſpondiſſetq́; ſi Dominus eſſet ſecum ac cũ tribulibus, cur tot tantiſq; malis opprimerentur? ille ei præcepit, vt ea fortitudine qua erat præditus, abiret populum ſuũ liberatum ex Madianorum ſeruitute. cumq́ue rogaret, quì eum liberare poſſet, cum & ipſius familia in Manasſina tribu ſine honore iaceret, & ipſe in paternis ædibus minimum poſset, ſeq́; idem cum eo futurum reſpondiſset: ab eo maiorem in modum petijt, vt ſi quid apud illum gratia valeret, ipſe re aliqua, quiſnam eſset, doceret. Itaque expectaret, dum rediens ſacrificium portaret, quod ei offerret. Cùm eũ ſe præſtolaturum pollicitus eſſet, Gedeon domum currens hœdum coxit, paneſq́; ſine fermento ex farinæ modio: carnes quoq; in caniſtro poſuit, & ius carnium in ollam infudit: quæ omnia cum detuliſset, angelus imperauit, vt carnes & panes in lapide quodã poneret, iuſq́; in ea funderet, quòd cum feciſset, angelus extrema virga, quam manu tenebat, carnes & panes cõtigit, tumq́ue ſtatim è lapide ignis erumpens conſumpſit omnia: nec deinceps angelum vidit. Qua re conturbatus, cùm angelum

Dei ſe vidiſſe exclamaſset, vt fit in reb' no
uis & inuſitatis, Deus eum ne timeret,mo
nuit, quòd minimè moriturus eſſet. Hinc
aram Deo poſuit.Qua illius in ſe religione
adductus Deus, nocte ſequẽti ei pręcepit,
vt taurum patris ſui,alterumq́; annorũ ſe-
ptem arriperet,dirutaq́; ara quã pater ipſi-
us Baal deo poſuerat,nemoreq́; quod cir-
cũ aram eſſet, cęſo, aram ſibi in eo lapide,
in quo antea ſacrũ collocaſſet, ac tum tau-
rum ſecundum in ſtrue lignorum,quæ ex
ſylua ſuccidiſſet,crematũ immolaret. Ad-
iunctis decẽ ex ſeruis ſuis,noctu ne à patre
& oppidanis vis oriretur, Dei pręcepto pa
ruit.Manè oppidani cum dirutam aram lu
cumq́; ſucciſum cernerẽt,moleſtè tulerũt:
cumq́; auctorẽ facinoris quærentes,tandẽ
Gedeonem eſſe comperiſſent,Ioas eius pa
trẽ monuerunt,vt filiũ, qui Dei ipſorũ ho
ſtis eſſet,ad mortem produceret.Ille nihil
aliud reſpondit,niſi ſi Baal Deus eſſet,ipſe
ſuam iniuriã propulſaret,hoſtemq́; vlciſce
retur.Ex quo patris reſponſo Gedeon Ie-
robaal poſtea appellatus eſt. Quo quidem
tẽpore Madiani cõiuncti cum Amalecinis
populiſq́; ad orientem ſpectantibus, traie
cto Iordane in campis Ierzahelinis caſtra
poſue-

posuerunt. Gedeon de eorum aduentu & incursiõe certior factus, afflatu diuino permotus est, clangésq; buccina primum Abiezerinorum gentem vt se sequeretur, hortatus est: deinde misit qui Manassinos, Aserinos, Zabulonianos, & Nephthaliminos cõuocarent. Cũ omnes conuenissent, antè quam exercitum educeret, Deum rogauit, vt si suo ductu & auspicijs populum suum, quemadmodũ prædixerat, liberaturus esset, faceret, vt in lanę vellere, quam in area poneret, ros maneret, & in terra siccitas: quod cum factũ esset, noctu surgẽs, expresso in conchã rore, qui in vellere inerat, rursus Deum rogauit, vt contrà vellere arido manente in terram ros deflueret: id quod etiam impetrauit. His quasi signis certissimis victoriæ impulsus & animatus, noctu ingentem, quem vt dixi, ex quatuor tribubus comparauerat, exercitũ eduxit. Deus autem, qui tantas copias ab eo duci cerneret, eum admonuit, quoniam tantus esset exercitus, non superatum iri Madianos, ne populus sibi victoriam tribueret. Itaque voce præconis moneret, vt qui timidi essẽt, discederẽt. Cũq; voce pręconis audita, duo & viginti millia abijssent, tantumq;
decem

tos in tres partes diuisos, cũ singulis tubas, lagenas inanes lãpadesq; in medio lagenarum dedisset, admonuit, vt quod se facere vidissẽt, facerẽt: cũ tuba in eius manu sonaret, ipsiquoq; clangerẽt. Vigilia medię noctis in castrorũ partẽ ingressi, vigilãtibus custodibus, clangere cœperunt, lagenasq; inter se complodere tribus locis in castrorũ ambitũ, hydrijsq; fractis, sinistra manu lampades tenebant, dextra buccinis personantes vnà clamabãt, Gladius Domini atq; Gedeonis. Hic clamoribus adeò turbata sunt castra hostium, vt vociferantes in fugã se cõiecerint, diuinoq; nutu alij in alios ruentes, mutua se cęde truncarint. Aserini autẽ, aliarumq; trium tribuũ, quas dixi, populus omnis, sublato clamore, eos consectari cœperunt. Gedeon ipse misit qui ad occupandum Iordanem Ephaiminos conuocarent; qui cum transitũ interclusissẽt, Madaianorũ principes duos, Oreb & Zeb captos interfecerunt: eorumq; capita ad Gedeonem portauerũt. Interfectis Oreb & Zeb principibus, cæsisq; centum viginti armatorũ millibus, Reges duo oriẽtales, Zebee & Salmana cum omni exercitu suo, qui millia quindecim explebat, ex fuga se

suosq;

suosque reficiebant. Gedeon autem cum trecentis suis (victoria enim illa incruenta eis fuit) eos traiecto Iordane consectabatur: sed cùm fessus de via Socothos primum, deinde Phanuelos rogasset, vt victũ sibi ac suis præberẽt, nec illi modo denegarent, sed eis etiam Zebee & Salmanã qui euaserant, vt probrũ obiectarent, iniuriam & contumeliã illam ita molestè tulit, vt minatus sit Socothorũ carnes spinis & tribulis solitudinis se esse laniaturũ: Phanuel autẽ arcem diruturũ esse, cùm victor captis illis regibus rediret. Magnis inde itineribus contendens, in castra hostiũ irrupit, fugientesq; reges consecutus, turbato omni exercitu, cepit. Eodem die antè quã sol occideret, eadem via in Socothos mouens, in eorũ agro ex puero, principũ septuaginta loci nomina didicit, de eisque vt pollicitus erat, suppliciũ sumpsit. Phanuel quoq; arcẽ diruit, interfectis loci incolis. Tum Zeb atq; Salmanam rogauit, quosnã qualesue homines in Thabor mõte interfecissent: cùm respõdissent, illi fuisse similes, vnumq; fuisse qui speciẽ filij regis præ se ferret, tum eos fratres suos esse dixit: quos si seruassent, ipsos nõ fuisse perituros:

ros: diſtrictoq; gladio, cũ Iether maximus natu eius liberorũ, extrahere nõ auderet, ipſe vtrunq; interfecit. Hac tã clara glorioſaq; victoria impulſi excitatiq; Iudæi, omnes Gedeonẽ rogarũt, vt ſibi & ipſe & liberi eius & nepotes pręeſsẽt. Quod nulla ex parte ſe cõceſsurũ eſse dixit, vir animi moderatione clariſsimo cuiq; vel anteponendus, vel certè ęquãdus. Inaures tantũ, quas ex præda habebant, vt ſibi darent, petijt, quas cùm ſumma voluntate pallio in quo inerant explicato, obtuliſsẽt, earũ pondus fuit mille ſeptingẽti auri ſicli, vt ſiclũ quatuor drachmas cõtinere, & drachmam centeſimam minæ ſeu libræ partem eſse intelligamus. Nec verò aurũ illud in vſum ſuũ accõmodauit, ſed ex eo veſtem ſacerdotalem confecit, quæ Ephot ab Hebræis dicitur, & ad humeros, vt paulò antè dixi, accõmodabatur. His tam claris rebus geſtis cũ quadraginta annos præfuiſset, procreaſſetq́; ex multis vxoribus liberos ſeptuaginta, & Hebręos in officio, Deiq́; veri religione continuiſset, in ſenectute beata mortuus eſt. Eo mortuo Hebręi Sichimi illius in ſe beneficiorum immemores, ſeptuaginta eius liberos præter Ioatham, qui occultatus

tatus eſt ab Abimelec,quem ex concubina illius ſuſceptum,ſibi prçeſſe voluerũt,paſſi ſunt interfici.Ita beati illius viri ac fœlicis non ſolum rebus geſtis,ſed etiam liberorum multitudine,Abimelec ſpurius gloriam perpetuam quodam modo obſcurauit.Nec vero ille tam immane ſcelus inultum diu tulit.Nam cum tres annos præfuiſſet,omnes sichimi qui eum ſibi, vt dixi, præpoſuerant,tam immanis indigniq; ſceleris recordatiõe,hoc procurante Deo,impulſi eum deteſtari cœperunt:nec antè eũ perſequi deſtiterunt,quàm ad Thebas oppidum cum arcẽ oppugnaret,mulier quædam fragmento molę ex arce, ad quam oppidani confugerant,in eius caput deiecto vulnus ei inflixit:ex quo mortuus eſſet,niſi ab armigero ſuo interfici,quàm à muliere honeſtius exiſtimaſſet.

IEPHTHE VITA.



Ephthe Galad ex ſcorto filius. Hic cũ à veris liberis ex domo paterna eiectus expulſusque eſſet,quod ęquum eſſe negarent eum,qui ex ſcorto natus eſſet,in partẽ hæreditatis venire,conſpectum eorum fugiens,

ens,in regione Tobiana habitauit. Quo ad eum ſtatim egentes & latrones, qui de eius fortitudine magnam opinionē haberent (erat enim fortiſsimus) cõuenientes, principem ſequi cœperunt. Galadini autē cùm ab Ammonitanis Hebręi bello appeterentur, neceſsitate coacti ad eum maiores natu miſerunt, qui eum non ſolum in ſocietatem belli vocarēt,ſed etiam ducem belli deligerent. Ille autē primum eos hęc non ex animo dicere arbitratus eſt,cùm ſe ab eis domo paterna iniuria expulſum eſſe diceret:deinde cum & id quod res erat, & ex animo ſe loqui confirmarent, hoc reſpondit,ſe ita demum eorum principē futurum,ſi & illi verè veniſſent, & Deus Ammonianos ſibi tradidiſſet.Cũ iureiurando fidem feciſſent, ſe promiſſa ſeruaturos eſſe,cum eis rediјt in patriam. Ibi cum eum populus principem creaſſet,legatos ad regem Ammonianorũ miſit, qui ab eo quærerent,cur ſibi ac ſuis bellũ inferret, ſuaq́; vaſtaret. Reſpondit legatis, quòd Hebræi cùm ex Aegypto diſcederent, magnã partem ditionis ſuæ ab Arnone ad Iordanem cepiſſent,quæ omnia repeteret. Quæ cum legati renuntiaſſent, Iephthe eoſdem ite-

rum misit, qui multis verbis non ea quę illius ditionis essent, sed quę aliorũ, ab Hebræis tum capta esse docerent: eumq; non ęquũ facere, qui aliena, id est ea quę Amorrhæorum fuissent, repeteret, præsertim cũ tam diu non repetiuisset. Ex quibus intelligi posset, non iniuriam illi facere Hebręos, qui ea tam diu sine cõtrouersia tenuissent, sed illum qui bellum indiceret. Qui si in sentẽtia permaneret, Deũ inter vtrunque populũ arbitrum fore. Re infecta cum Legati reuersi essent, Iephthe afflatu diuino permotus & completus est, cõparatoq; exercitu in Ammonianos mouit. In via votum Deo nuncupauit, si eius benignitate Ammonianos superasset, qui primus victori sibi redeunti obuiam factus esset, eum se illi immolaturum. Ammonianis ita victis, vt viginti eorũ oppida caperet, agrosque & fines eorum, redeunti domum, filia eius virgo, quam vnam sine alijs liberis habebat, quæ patri tam claram victoriam gratularetur, prima obuiá prodijt. Quam simul atq; animaduertit, voce quá potuit maxima cum lachrymis se miserum esse dixit, quòd illa & se & ipsum decepisset, præsertim cum os suum Domino in voti nuncupatione

cupatione aperuisset, nec aliud facere posset. Virgo filia patri modestè respondit, si Deo votum nuncupasset, se non recusare, quin eo se ipse liberaret, præsertim cũ tam insigni victoria clarum patrẽ videret. Hoc tamen vnum se ab eo petere, vt duos sibi menses ad virginitatem cum æqualibus lugendam concederet. Exactis duobus mensibus, reuersam Deo immolauit. Quo quidem exemplo omnes moneri debẽt, vt in votis nuncupandis, cautionem prudentiamq; adhibeãt. Idem cùm sex annos iudex præfuisset, excesit è vita.

SAMSONIS VITA.


Amson Manue filius trib⁹ Dan, dubiũ esset, fortissimus ne fuerit, qui à nemine homine, nec à quàm plurimis vinci potuit, an stultissimus qui à muliere editis tã claris mirabilibusque fortitudinis documentis, tandem victus est, nisi in eo Christum multò antè significauisset. In eo præter hoc extremum singularia sunt omnia, vt quæ prophani scriptores de multorum fortitudine tradunt, ab illo obscurata videantur. Eo autem natus est tempore,

cùm Palæstini Hebræos diuino consilio, quòd neglecto desertoq; vero Deo, se ad aliorum religionem contulissent, quadraginta annis Abdone Iudice mortuo, seruitute oppresserunt. Conceptus eius miraculo non caruit. Nam cùm mater eius sterilis esset, angelus ei se ostēdit, dixitq;, tempus futurum, quo conciperet pareretq; filium, qui Deo consecraretur, populumq; in libertatem vindicaret. Vetuitq; ne quid sacrarum escarum ipsa contingeret, aut vinũ biberet. Quærenti autem quisnam esset, vnde veniret, aut qui vocaretur, dicere nō luit. Ea igitur perterrita ad Manue virum suum statim veniens, ei hęc omnia ordine narrauit. Manue rei miraculo impulsus Deũ rogauit, vt iterum eundem mitteret, qui omnia, quæ in puero agi vellet, doceret. Audiuit eũ Deus, misitq; angelum ad mulierem, quem vt primum vidit, ad virũ cucurrit, ac renuntiauit. Ille vxorem secutus, angelum rogauit, num is esset qui cũ vxore sua locutus esset, & quænam puer, quādo natus esset, obseruare deberet. Angelus se eum esse dixit, pręcepitq; vt puer ab ijs omnibus, quæ mulieri exposuisset, abstineret. Manue angelum esse ignora-

bat.

bat. Itaq; eum rogare cœpit, vt hœdum sibi parari & coqui pateretur. Se esurum negauit Angelus, monuitq; vt hostiam Domino immolaret. Cùm idē instaret, vt nomen ediceret, idq; se eò facere exponeret, vt eum honoribus afficeret, quæsiuit, cur nomen suum quod mirabile esset, sciscitaretur. Hœdum in lapide cùm incenderet atq; Deo immolaret, eo atque muliere spectantibus, angelus simul cum flamma ascendit: quo spectaculo perterriti, in terram proni ceciderunt: tumq; demum angelum esse Manue credidit, mulieriq; dixit se atque illam esse morituros, quòd angelum vidissent. Samson autem puer cum natus esset, appellatus est, simulq; cum ætate in eo virtutes coniunctæ cum Dei munere creuerunt. Cùm adoleuisset, Palæstinam virginem accepit vxorem, repugnantibus primùm parentibus, quòd Palæstini præputium non præciderent, & multæ essent generis sui, quas accipere ex lege diuina eum oporteret: deinde assentientibus, cùm eā sibi probari & placere dixisset. Hoc autem Samson fecit, non quòd contra legē facere vellet, sed quòd id agente diuina prouidentia, occasionem opprimēdorum

Palęstinorum quęreret. Thamnatensis vir go illa erat. In oppidū cum parētibus cùm iret, catulus leonis sæuus ei occurrit: quē manibus sic discerpsit, vt si hœdum in frustra concidisset: neque id parētibus voluit exponere. Sermone cum illa virgine habito, redierunt domum. Cùm paulò pôst eôdem vt eā acciperet, reuerteretur, cadaueris leonis videndi gratia de via deflexit. In ore leonis examē apum cōsederat, sumptū fauū mellis, in via edit ipse, atq; eodē parētibus totius rei ignaris dedit. Loci illius incolæ ei triginta sodales dederant. Eis in solenni nuptiarum epulo ænigma explicādū proposuit ea cōditione, vt si intra septimū diē illud dissoluerent, ipse eis lineas vestes triginta, totidemq; tunicâs daret: si non possent, ipsi eundem & vestiū & tunicarum eiusdem generis numerum soluerent. Aenigma autē, siue obscura quęstio fuit huiusmodi: Ex cōmedente cibus, & ex forti dulcedo manauit. Tribus primis diebus cū nulla ratione obscuritatem quæstionis explicare possent, nec alijs, adessetq; septimus, vxorē eius conueniūt: ei suadent, vt viro blandiatur tantumq; efficiat, vt quæ illius quæstionis sententia sit, expo

exponat: minantur prætereà, se & illius & patris eius domum esse incensuros, nisi id perficiat. Mulier non solũ blanditur viro, verum etiã queritur apud eum cũ lachrymis, se ab illo diligi, ob eamq; causam eum sibi nolle eius quæstionis explicare sentẽtiã: idq; sex primis diebus fecit, in quibus ei hoc vnum ille afferebat, se illi quæstionem explicare nõ posse, quam parentibus explicare noluisset. Ad extremũ septimo die cum ei molesta esse pergeret, exposuit: statimq; illa ciuibus suis indicauit. Illi eodem die ante solis occasum. Samsonẽ adeũtes, his verbis explicarunt. Quid dulcius melle, leoneq; fortius? Quod ipse intelligens, Nisi, inquit, iuuenca mea arauissetis, nunquàm quæstionis nodũ inuenire potuissetis. Spiritu autẽ diuino afflatus, Ascalonem Palęstinorum vrbẽ petens, triginta viros interfecit, eorumque vestes illis triginta ex pacto tradidit. Hanc ille vxoris in se iniuriam adeò molestè acerbeq; tulit, vt quamprimùm leniendi doloris causa, relicto & loco, & ea quæ illi dolorẽ augere potuissent, se domum paternam receperit. Pater eius vxoris, eã ab illo odio & dolore victo repudiatã esse ratus, alteri qui Sãsonis

amicus erat, nec ita multò pòst in matrimonio collocauit. Ipse cùm aliquãtò pòst, tum cũ triticeæ messis tempus appetebat, vxorem viseret, atq; in cubiculum vt solitus erat, ad eam vellet accedere, prohibuit pater, cùm ea quæ paulò antè dixi, attulisset. Se tamen habere dixit virginem filiam minorẽ natu, quæ forma elegãtiore quàm illius soror esset, qua pro illa si vellet, vteretur. Quam ille iniuriam sibi factam grauiter ferens, in se culpam ex illo die non posse conferri dixit, si illam vlcisceretur. Tempus messis, vt dixi, flauescentibus iam frugibus, appetebat. Ille statim trecentas vulpes cepit, easq́; caudis inter se nexis & colligatis, in omnes partes, adhibito igne, dimisit. Illæ autem in medias Palæstinorũ segetes occultandi, vt fit, causa, cum discurrissent, tam eas quæ iam in manipulos demessæ colligatæ erant, quàm eas quæ tum etiam stabant, combusserunt, tantaque vis flammæ fuit, vt etiam vineta & olíueta cõflagrarint. Palęstini re comperta ex ijs, qui hæc à Samsone geri vidissent, cum Thamnath eius socerum ei causam dedisse intellexissent, quòd filiam quam ei nuptui dedisset, alteri collocasset, tum irato animo & pa-

& patrem,& filiam viuos exusserũt. Quod cum Samson resciuisset, ne sic quidem se conquieturum,nisi eos etiam nouo genere vltus esset,professus est. Itaq; eis miserabili modo, siue vulneratis, siue cæsis discessit,habitauitq́; in quadam spelunca. Palęstini autem in eorum,qui tribus Iudæ erant regionem arma inferentes, cùm illorum exercitũ fudissent,eorumq́; irruptionis causam illi quærerẽt,responderũt,nunquã se antè finẽ belli esse facturos, quàm iniurias quas à Samsone accepissẽt,vlti essent. Quæ causa fuit,vt Iudainæ tribus homines ad Samsonem venientes, cũ ab illo quæsiuissẽt,cur in Palæstinos, quibus ipsi parerent,talem se præbuisset, illeq́; se par illis retulisse respondisset, exposuerint, se eò venisse,vt vinctũ eũ Palęstinis dederẽt: quod ille,tãtum abest vt acerbè tulerit,vt libenter se id passurũ esse denunciauerit, dũ modo iurarent se ipsum in via nõ esse interempturos. Cùm iurassent, vinctũ eũ nouis duobus funibus ad Palæstinos ducebant: cumq́; illi eminus cõspecto illo quasi ad certam prædam cum clamore properantes iã imminerent, spiritu diuino afflatus &permotus Sãson,solutis ruptisq́; vin

culis arreptaq; asini maxilla,mille viros in
terfecit. Cōfectus siti,cùm ibi nullæ aquæ
suppeterent, Deum rogauit, vt sibi quem
victorem effecisset, auxiliū ferret,ne ene-
ctus siti in potestatem inimicorum veni-
ret. Vix finem orandi fecerat:cùm aquam
ex molari dente manare vidit,ex qua cùm
quantum satis visum esset,hausisset, vires
& animum recepit.Rem nō minus admira
tione dignā,nec ita multò post gessit.Ga-
zam Palæstinorum vrbem cum introisset,
cum muliere quę omnibus proposita erat,
concubuit. Aduentu eius cognito,Palæsti
ni clam eum circundederunt,atq; in porta
noctu excubias egerunt, vt manè abeuntē
interficerent. Ipse cùm intēpesta nocte ex
pergefactus,surrexisset,portas vrbis cū po
stibus in humeros suos impositas,in proxi
mi mōtis cacumē deportauit. Eundē verò,
quem tātis corporis viribus præstitisse ex-
celluisseq́; docui,ad extremum mulier Da
lila nomine,blanditijs illecebrisq́; supera-
uit.Cùm enim Palæstini eam ab illo valdè
amari cognouissent,cum ea egerunt, vt eū
falleret, ex eoq́; cognosceret, qua in re
tam magnæ vires eius consisterent: quod
si faceret, ei se singuli millenos & cente-
nos

nos argenteos daturos esse spoponderũt. Ille primùm quidem non planè qua in re sitæ essent vires corporis, exposuit. Nam cùm illa, vt solent mulieres paulo ad rem attentiores, id tentasset, isq; ita fore se ijsdẽ viribus, quibus cęteri homines essent, dixisset, si septẽ funibus qui ex neruis humescẽtibus cõfecti essent, vinctus esset, atque illa, cũ hoc ipsum Palæstinis materiã suppeditantibus, fecisset, latentibus qui & exitum rei expectarent, & ex insidijs eum opprimerẽt, ei insidias à Palæstinis paratas quas vitaret, exposuisset: ipse tanta facilitate vincula rupit & dissipauit, quanta ignis filũ ex stupa cũ adhibetur, solet. Iterũ ac tertiò eã simili ratione decepit, cùm illa semper ab eo capi fallicq; dixisset. Secũdò loco funibus nouis, qui nũquam in opere fuissent, uinctus est, quos tã facilè rursus di rupit, quàm telarũ fila potuisset. Tertiò dixit, si septẽ capitis sui capilli intexti & cõtorti iugo textorio fuissent, & humi clauo defixi, fore vt pari cęterorũ homnum fortitudine videretur. At cùm illa omnia dili gẽter perfecta essent, ijs qui in insidijs col locati erãt etiam imminentibus, tamẽ experrect⁹ omnia facilimè extraxit. Quartò

autem, id est ad extremũ mulieris siue pre cibus, siue querelis, siue blanditijs, siue his omnibus victus, ei rẽ ipsam vt erat, aperuit. Cũ enim indicio illius caput ei rasum esset, Palæstini omnes, qui mulieris accitu cum pecunia conuenerant, eum comprehenderũt exitus rei ignarũ, statimq; effossis oculis, Gazam ductũ in carcere vinctũ catenis duabus molere iusserunt. Renasci iam eius capilli cœperant, cum Palæstini festum diem more institutoque maiorum agentes, Samsonem ludibrij causa producendum communi consensu vt hostẽ censuerunt. Eo in cubiculo duæ colũnæ erãt, in quibus tota domus nitebatur, tã paruo interuallo disiunctę, vt eas passis manibus homo posset cõtingere. Ibi cũ illũ diu pro delectamento habuissent, ducẽ suum monuit, vt se ad colũnas illas perduceret. Spectabant autem ludẽtem Samsonẽ fere tria virorũ mulierumq; millia. Is ergo cũ Deũ rogasset, vt sibi in rebus aduersis contra hostes auxilium ferret, cõplexus vtramq; columnam, eas ita totis viribus cõmouit. vt domus ruina sua eum omnesq; qui aderant, opprimeret: pluresq; moriens, quàm viuus interemit. Eum verò sui elatum in sepul-

sepulchro patris sui sepelierũt, cùm viginti annis populum iudicasset.

BOOZ VITA.


Ooz Bethleemitanus Salmone patre natus est. Is Ruth Moabitidem vxorem diuino consilio & prouidẽtia accepit: quod quidem quemadmodũ gestũ sit, quia ad eius laudem pertinet, exponere cõstitui, remq; altius repetã, quò faciliùs intelligatur. Elimelech erat Booz propinquus: qui cũ fames in patria esset, id est, in ea Iudææ parte, quæ Iudæ familiæ obuenerat, eius vitãdæ causa vnà cum Noëmi vxore, duobusq; liberis Mahalon & Chelion in agrum Moabitanũ se recepit. Ibi, Elimelech mortuo, liberi duo, quos dixi, vxores duxerũt, Orpham & Ruth nomine, vter autẽ vtrã accoperit, incertum est. Excesserunt autem illi etiã è vita. Noëmi quæ se & viduã & orbam videret, sibi in patriã, accepto nuntio vbertatis, cũ in ea regione decennium fermè vixisset, redeundũ censuit. Itaq; re cùm nuribus cõmunicata, primùm tres simul iter ingressæ sunt: deinde cum aliquantum itineris

neris confecissent, Noëmi nurus & mo-
nuit, vt in patriam suam ad matres reuerte-
rentur, & rogato Domino, vt prosperè eis
omnia euenire vellet in domibus virorũ,
quibus nupturæ essent, osculata est. Illę cũ
obortis lachrymis dolorẽ suum magna vo
ce significarent, dicerentq; se vnà cum ea
ad ipsius patriam esse profecturas: ipsa eas
rursus hortata est, vt redirent, quòd nullã
iam spem sibi quæ prouecta ætate esset, re
liquam videret procreandorum liberorũ:
quæ si reliqua esset, atq; ea ipsa nocte con
ciperet, tamen ipsæ antè consenescerent,
quàm liberi possent nubere: quinetiã ea-
rum aspectu & præsentia augeri dolorem
suum dicebat. Hac illius oratione adducta
fuit vtraq;, vt iterum fleret: sed tamen Or-
pha sola cum socrum osculata esset, disces
sit. Ruth autem socrum sequuta est: cui cũ
illa in itinere quasi auctor esset, vt propin
quã quæ ad deos suos reuersa esset, seque-
retur, eã rogauit, ne sibi deinceps aduersa-
retur. Hoc enĩ sibi induxisse in animũ, hoc
constituisse, quocunq; ipsa pergeret, eam
sequi: vbicunq; habitaret, habitare: quem
Deũ haberet, ac populũ, eundem habere:
quacũq; in terra moreretur ac sepeliretur,
mori

mori atq; ſepeliri; neq; re vlla, niſi morte, ab ea diſiungi. Noëmi quæ tum obſtinatũ obfirmatumq; nurus animũ cerneret; deinceps ei ſuadere, vt ad ſuos rediret, deſtitit. cõfecto igitur vnà itinere, Bethleem introierunt tũ cùm primũ ordea metebãtur. Ruth nec ita multò pòſt ſocrui expoſuit, ſibi in animo eſſe, dũ modò per illi' benignitatẽ liceret, ſe in agrum alicuius comis & liberalis domini ad colligẽdas ſpicas, quæ meſſorum manus fugiſſent, cõferre: quo impetrato, cum abijſſet, accidit diuina prouidentia, vt ager is in quẽ primùm ingreſſa eſt, Booz huius eſſet, qui iam tum magnis opibus abundabat. Ea iam ſpicas meſſorum conceſſu colligebat: cum Booz Bethleem veniens, ab eo quẽ meſſoribus præfecerat, quænã puella eſſet, cœpit quærere. Cum reſpondiſſet, eàm eſſe Moabitidem, quæ cum Noëmi ex illa regione veniſſet, rogaſſetq; vt ſibi colligere ſpicas remanentes liceret: ipſe illam monuit, ne ad alium agrum trãſiret ſed meſſores ſemper ſequeretur: ſe enim ſuis imperauiſſe, ne illi negotium faceſſerent quinetiam ſi ſitiret, aquam cum ſuis biberet. Cùm illa tanta eius benignitate ducta, ſtatim ſe

ad illius

ad illius pedes abiecisset, rogassetq; quodnam ob meritum suum sibi tantum beneficij daret, quã Moabitidem, id est peregrinam esse sciret: respondit sibi nuntiatum esse, quę officia nurui suæ post mortẽ viri sui pręstitisset: eamq; relictis parentibus & patria, ad eos venisse, quos antea ignoraret. Itaq; petere se à Deo ad quẽ confugisset, vt ei pro officiorum dignitate gratiam referat. Concesit etiam, vt ad horam cibi veniens, cum suis cibum caperet. Cumque illa ex more ad colligẽdas spicas redijsset, suis Booz præcepit, vt si cũ eis ipsa metere vellet, ne prohiberent: quinetiam de industria manipulos relinquerent, vt liberè colligeret. Collegit autem illa duos ferè modios, quos cùm ad socrum vnà cum reliquijs cibi deportasset, quærere ex ea cœpit, quisnam se in eam tam liberalem facilemq; prębuisset. Cum Booz nominasset, tum & propinquum suum eum esse dixit: & vt magnis eũdem Deus bonis afficeret, rogauit, quòd quam amicitiam cum mortuis coluisset, eam etiã ad viuos voluisset pertinere. Multò etiam maiorem ei gratiã habuit, cũ à nuru accepisset, hoc ei ab illo imperatum esse, vt quãdiu messis esset, ne

ad alium

ad alium agrum diuerteret. Itaq; illa de ſocrus ſentẽtia eò tãtiſper profecta eſt, quoad meſsis triticea & ordeacea perfecta fuit, cum quotidie ad ſocrũ reuerteretur. Perfecta meſse ita accidit, vt BOOZ ordeum excutiendum & ventilandum locaret: quod cũ Ruth reſciuiſset, nurui dixit ſe daturam operam, vt benè nuberet. Itaq; abluta facie, ſumptaq; veſte elegantiore ſe ad aram ordei, quam Booz ea nocte ventilaret, conferret, videretq; diligenter, ne à quoquam niſi ſumpto cibo animaduerteretur: tum deniq; ipſa notato loco, ad quem ille dormitũ iuiſſet, ad eum clàm veniret, pallioq; quo opertus eſſet, à pedibus diſiecto, ibi cubaret. Cùm ſe quę iuberet, facturã promiſiſſet, eò venit, notatoq; aceruo manipulorum, ad quẽ Booz potus ſolito hilarior, dormitum ierat, ad pedes iam dormientis detracto pallio cubuit. Booz nocte intempeſta, cùm experrectus ad pedes iacentem ſenſiſſet, perterritus, quis eſſet, rogauit. Illa cum Ruth eius ancillam ſe eſſe reſpondiſſet, rogaretq; vt pallium ſiue ſtragulam ipſius ſibi daret, propterea quòd ad eum propinquitate attineret: tum Booz collaudato illo eius facto, ita vt & benedictã eam

à Domino diceret, & eius virtutis populũ teſtem prędicaret,&ſuperiorẽ pietatẽ atq; humanitatẽ eam poſteriore viciſſe fateretur,ſe illius quidem propinquũ eſſe dixit: ſed quia alter propius ſe ad eam attineret, manè ſe ex illo intellecturũ promiſit, nũ eã propinquitatis iure vellet ducere:ſi nollet,fore,vt ipſe cũ ea coniugiũ iniret. Illa prima luce antè quàm à quoquã,quę eſſet, cognoſci poſſet, (ſic enim Booz iuſſerat) cũ ſex ordei modijs abijt: ipſe paulò pòſt ſicuti pollicitus erat, in oppidũ profectus eſt,vt cõmodè, ne id cupidè facere videretur,eum,cui de primę propinquitatis iure concederet,conueniret. Hoc quò facilius perficeret, ad portam oppidi ſibi ſedendũ putauit.Ibi cùm eſſet,propinquus illũ ſuperiorem prætereuntẽ animaduertens, eũ rogat,vt illic aliquantiſper ſedeat. Quod cũ non grauatè feciſſet,Booz decẽ oppidanos ex ijs, qui cæteros ętate antecedebãt, conuocat.Ijs conſidentibus, ita cũ propinquo illo(neq; enim nomẽ eius literis mandatum eſt)egit:Noëmi dixit velle vendere partẽ agri, qui Elimelec vtriuſq; fratris fuiſſet. Hoc ſe illi à quo vno propinquitat[e] vinceretur,exponere voluiſſe, illis pręſentibus

tibus,vt si vellet, iure propinquitatis eme
ret:sin minus,ipse quid sibi faciendũ esset,
videret. Cum ille se emere velle dixisset,
tum Booz addidit, ei cùm agrum emisset,
ex lege,Ruth,quę demortui mulier esset,
vxorem esse ducendam,vt pro fratre libe-
ros procrearet. Ille facta cõiugij mẽtione,
cõfestim decedere se de illo iure suo dix-
it,atq; ei cõcedere, ꝙ familiæ suæ posteri-
tatẽ delere minimè deberet. Hoc quò ma-
gis firmũ ratumq; esset, ab eo petiuit, vt
id quod in tali re tum seruari solitũ erat,
ipse calceos detraheret. Detractis calceis
Booz & venditionis agri,& coniugij,quod
cum Ruth iniret, quòd ille de suo iure de
cederet,testes decem quos dixi,esse dixit.
Hoc cùm professi essent,&præterea cõpre
cati essent,vt bonũ,felix,faustumq; matri
monium illud esset, susciperetq; Booz ex
Ruth,quã Rachel & Liæ similẽ esse cupe-
rẽt,liberos quæ eius domũ tã celebrẽ cla-
ramq; redderẽt, quàm Phares Iudæ atque
Thamar parẽtum suorũ familiã illustrem
reddidisset: ipse Ruth duxit vxorẽ,quę ei
puerum, cùi Obed nomen imposuerunt,
peperit. Nihil prætereà de eo scriptum in-
uenimus.

VITA DAVIDIS REGIS ET PROPHETAE.



Auid Bethleemitanus Isai, siue Iessæ patre natus, viuo Saule, qui prim⁹ regia potestate Iudæis præfuit, adolescens rex institutus est hoc modo. Cum Deus Saulē pro suis sceleribus detestatus esset, eiusq; vicē Samuel diu & per se, & illius precibus adductus, doluisset, conareturq; ei Deum placare: illud eius factum reprehendit, quòd frustrà eius causa laboraret, quē ipse auersatus esset. Itaq; ei præcepit, vt cornu olei pleno sumpto ad Isai Bethleemitanum, vnius eius liberorū quem delegisset, vngendi consecrandiq; causa, proficisceretur. Cū id se sine vitę periculo facere posse negaret, viuo Saule, Deus vitulum eum iussit sumere, quem se immolatū venisse Bethleemitanis diceret. Samuel cū Dei iussu Bethleem veniens, quærentibus cur venisset, id quod dixi, respondisset, oppidanos ad sacrum conuocat, atque in ijs Isai eiusq; liberos omnes præter Dauidem, qui oues patris pascebat, expiauit. Quoniam quem vngi consecrariq; Deus vellet, ignorabat, singillatim vt quenque eorum expiabat,

ita Deum consulebat: qui semper in singu lis qui aderant, non esse respondit. Cùm igitur ad septimum peruenisset, idemque accepisset responsum: tum Isai rogauit, nũ alium præterea haberet: cùm respondisset octauum esse paruulum, qui oues pasceret, ille negauit se antè mensæ accubiturũ, quàm adductus fuisset. Perductum, cùm eum esse quem delegisset, respondisset Deus, consecrauit, statimq́; spiritus Domini ad eum venit, atq; ex eo die deinceps in eo insedit. Didicerat puer fidibus canere. Itaque cùm Saul eodẽ tempore à Spiritu Domini desertus, ab improbo impuroq́; agitaretur, neque ei malo remedium vllum principio, nec ipse nec sui inuenire possent, deinde nõnulli ex eius comitatu Dauidem nominarunt, hominem & fortem, & bellica arte præstantem, qui optimè fidi bus caneret, quarum sonis ac modis malum illud sedaretur. Eorum de consilio & sentẽtia, Dauidem accersendum curat: accersitum armigerum suum constituit, magnoq́; eum amore prosequutus in honore habuit, & pretio: nec iniuria. Nam quotiescunque in eum spiritus nequam inuadebat, admotis fidibus digitis, sono dolo-

rem eius leuiorẽ faciebat, expulſo dęmone. Cùm autẽ illa eius opera Saul penitus à malo liberatus videretur, Dauid relictis tribus fratrib⁹, qui eo maiores natu, in bello Sauli operã dabant, ad patrem, vt gregẽ paſceret, reuerſus eſt: ibiq́; eaten⁹ fuit, quoad pater eum miſit, qui vt fratres valerent, videret. Palęſtini iam tum in agrũ Iudęorũ impetu facto, caſtra locauerant, ibiq́; quadraginta dies cõmorati erant, cùm interea Goliath Palęſtinus Gethęus, cuius ſtatura erat cubitorum ſex & palmi, armatus Deũ & Iudęos contumelijs conuicijſq́; vexans, ad ſingulare certamen qui vellet deſcendere, prouocabat. Inuſitata autem hominis proceritas armorumq́; genus Saulem atq; Iudæos in ſtuporem ſummamq́; deſperationem adduxerat, nec quiſquam audebat cũ illo in certamen deſcendere, quo vter victus eſſet, exercitus etiam cuius eſſet, ac populus in alterius poteſtatem veniret. In hac tanta omniũ trepidatione, Saul ei, qui congrederetur & vinceret, præmium poſuit, immunitatem paternæ familiæ, ingentes opes & filiam coniugem. Dauid qui audiuiſſet, cùm eiuſmodi conuicia Goliath in Deum iaceret, ſpiritu diuino

uino permotus, propulſandam illam iniu riam ratus,adductus etiam præmio,ſe deſcenſurum in certamen nonnullis dicit: quod cùm Eliad frater eius accepiſſet, nó tam eum ab hoc conſilio deterrere cœpit, quàm accuſare & obiurgare, quòd patris oues reliquiſſet. Cùm verò ad plures, vt fit,fama peruaſiſſet, tandem eius rei Saul factus certior, eum accerſit, primumq́ue eum dehortatur, propoſito eo quì cum ei res eſſet,propoſitaq́; ætate quæ pene puerilis eſſet. Tantum autem abeſt,vt ab illo conſilio ſuo &propoſito metu,quem Saul proponeret, abductus fuerit, vt diuina ſpe & ope fretus, eorum quæ puer geſsiſſet,recordatione & commemoratione, ſe in ſpem maximam victoriæ venire dixerit. Commemorabat enim Sauli ipſum,vt dixi,deterrenti,ſe,cùm patris ſui oues paſceret, venienſq́ue leo vel vrſus, arrepto ariete fugeret, inſequentem ex faucibus eripuiſſe primùm, deinde apprehenſo mento ſuffocaſſe.Itaq; ſe ſperare,idem Pa læſtino eſſe facturum Dei conceſſu & munere, qui vt ipſum ex faucibus leonis eripuerat,ſic etiam ex Palæſtini illius ereptu rus eſſet.Tam bona ſpe fretũ cum de ſen-

tentia sibi deijciendum vltrà Saul non putaret, siue quòd fieri nō posse videret, siue quòd nemo alius se pro Rep. deuouere vellet in tanto rerū omnium discrimine, tandē conquieuit, armatumq́; his votis & officijs prosequutus est, Tibi Deum auxilium ferre, tuosq́; conatus fortunare velim. Ipse armatus, cū arma ferre se posse, quòd nunquam assueuerat, diffideret, eis detractis, bacillum quo vti solitus erat, pro gladio sumpsit, & quinque lapides delegit in torrente, quibus in peram pastoralem congestis, sumptaq́; funda manu, spei bonæ plenus, in hostem contendit. Eum simul atq; Goliath nouo & inusitato illo armorū genere instructū animaduertit, ei in probri loco obiectare cœpit, quòd ita in ipsum veniret cum bacillo, quasi canis esset: conuicijsq́; & maledictis Deorum suorum nomine vexatum ad se venire iussit, vt eius cadauer auibus deuorandum traderet. Dauid conuicijs conuicia non diluit, sed hoc vnum respondit, illum in ipsum cum gladio, hasta & clypeo venire, se autem in eum venire in Domini exercituum Deiq́; agminum Israelis nomine, in quem eo die maledicta iecisset, cuius nutu in manus ipsius

ipſius ita venturus eſset,vt & ei caput am putaret, & cadauera Palæſtinorum auibus feriſq; obijceret,& vniuerſus orbis Deum apud Iudæos eſse ſciret, omniſque cœtus qui vtraq; ex parte ſtabat,cognoſceret,atque intelligeret, Deum, cuius ſit bellum, non haſta, aut clypeo ſeruare aut vincere. His vtrinq; iactatis, Palęſtinus infeſtus in Dauid veniebat: cùm ipſe, prolatũ ex pera lapidem,funda ſic in eius frontẽ iaculatus eſt, vt hærente lapide pronus in terrã ceciderit.Gladium,vt dixi,Dauid nullũ ſumpſerat. Itaq; corruentis diſtricto gladio,eũ primò interemit,deinde ei caput pręcidit. Palęſtini cùm fortiſsimũ ſuorũ victum interfectumq́; viderent,fugerunt.Iudæi autẽ cum clamore eos inſequuti, multos interemerũt, rẽuerſiq́; eorũ caſtra ceperunt. At Dauid poſitis fixiſq́; Goliath armis in tabernaculo ſuo, caput eius Hieroſolyma portauit: ꝙ cũ mulieres oppidorũ reſciuiſſent, Sauli obuiam prodeũtes in choris cũ tympanis &ſiſtris,hęc canebant:Interfecit Saul mille,& Dauid decem millia. Hoc ita Saul acerbè tulit,vt cũ dixiſset,nihil reſtare,niſi vt ei regnũ traderetur, ex eo die ac deinceps quandiu vixit,inuiſum ac ſuſpe-
 ctum

ctum Dauidē habuerit,eumq́; ſępe,quantum in eo fuit,interfecerit: de quo nobis deinceps dicendū eſt,vt quem ſe erga hoſtem pręſtiterit, exēpli cauſa intelligam⁹. In eo enim manſuetudinis ac clemētiæ exemplum continetur, & maximū & clariſsimum. Propoſuerat,vt dixi, pręmiū ei qui Goliath interfeciſſet,coniugiū filiæ.Ei autem filiæ duę nubiles erant,Merob,& Michol. Cū Saul poſtridie eius diei, quo die mulieres maioribus fortitudinis laudib⁹ Dauidem,quàm illū ornauerant, à dęmonę agitatus, prophetaret, atq; vaticinaretur,Dauid autē fidibus,mali eius leniendi cauſa,caneret: arreptam ſubitò lanceā bis in parietem iecit,vt Dauidē trāsfigeret, feciſſetq́; niſi ictum ille declinaſſet. Qua re animaduerſa, Saul qui ex eo Domini ſpiritum,qui ipſum deſeruiſſet,in Dauide inſediſſe iudicaret,eum metuere cœpit. Itaq; eum à ſe amandans,mille viris populi præfecit,quo in munere ita ſe prudentem pręſtitit,vt Iudæis omnibus charus eſſet. Cū autem illi eius gloriæ ac ſuperiori inuideret, eumq́; metueret ea de cauſa quam dixi,ſpecie ſimulationeq́; amicitię,re autem vera, eius interficiendi cauſa, Merob maiorem

iorem natu filiam ei se daturum in matrimonium pollicitus est, si modo bellũ procuraret ac gereret, vt eum non ipse interficeret, sed Palæstini. Nec tamen eam illi dedit, cum venisset tempus, sed Hadrieli Molathitę. Alteram, cui Michol, vt dixi, nomẽ erat, Dauid amabat. Quod cùm Saul resciuisset, ei eam se nuptui daturum promisit, dum modo centum pręputia Palęstinorũ afferret, quod specię quidem hostiũ Dei internecionis dicebat, re autem vera certum vitę eius periculum illud putabat. Dauid tamen tam nefarię illius in se voluntatis sceelestiq; cõsilij ignarus, paulò pòst Accaronẽ profectus cũ ijs mille quibus pręerat, ducentis Palęstinis cæsis, eorũ præputia ad Saulẽ attulit, eiq; numerauit. Sic Michol duxit vxorem, cui ipse erat charissimus, quemadmodũ ex eo quod expono, intelligi poterit. Nam cùm paulò pòst Saul Ionathę suisq; omnibus pręcepisset, vt Dauidẽ interficerent: Ionathas autẽ Dauidẽ, quem valdè amaret, eo amicitię gradu, qui in paucis, vt mox docebo, repertus est, monuisset, vt alicubi in posterum diem delitesceret, quoad dedisset operam, vt ei patrem placaret, si posset: tum quidem Saulis

in eum odium deferbuit, Ionathæ ſtudio & diligentia. Sed paulò pòſt,cùm eius placatum planè animum putans,pro more fidibus caneret, lanceaq; eius interficiendi cauſa à Salue coniecta, ictu declinato domum ſuam ſe recepiſſet,actum erat de eo, niſi Michol charus fuiſſet. Saul eñ ſtatim ſatellites miſit,qui eum domi ſuæ cuſtodi rent,& mane interficerent: cuius rei facta Michol certior,antè quàm veniſsent, virũ monuit,vt noctu fugeret. Eius igitur con ſilio parens Dauid, ea adiutrice per feneſtram demiſſus euaſit.In hoc quidem mag nam charitatis ſuæ in virum ſignificationẽ dedit: ſed maiorẽ eodẽ penè puncto temporis,atq; adeo tantã,vt ſine hac poſteriore, ſuperior haud multum virium ad ſalutẽ habuiſſet. Prudens mulier,viriq; amãtiſsima,cũ intelligeret, id quod res erat,ſi ſatellites veniſſent, fugæq; viri ſui nuntiũ Sauli patri renuntiaſſent, miſsis qui eum quærerent, facile eum antè comprehendi poſſe, quàm ſe in certum tutumq; locum recepiſset: quid facit? Sumit ſtatuã,eamq; in lecto locat,& capiti pellem caprinam cũ villis apponit,atq; eam operit veſtibus, vt cum ſatellites veniſsent,virum ſuum ęgrũ

eſse

esse diceret. Itaq; cùm venissent, atq; hoc ab ea responsum accepissent, renuntiauerunt Sauli, qui eo cõtentus fuisset, nisi hostis generis hominũ instinctu, de Dauidis morte cogitasset. Quocirca eos iterum misit, qui eum in lecto deportarent, vt eũ interficeret. In quo mirari quiuis iure potest iræ odijq; magnitudinẽ tantam in homine, vt etiam in ægrorũ vitam, quæ sæpe nulla est, sæuiat. Satellites intromissi, cum hominem se comprehensuros sperarent, statuam solam inuenerũt: quòd cum Sauli nuntiassẽt, Michol accersitam grauiter obiurgauit, quòd sic ipsum derisisset, inimicumq; suum abire siuisset. Illa cum respõdisset, Dauidem sibi minatum esse mortẽ, nisi ipsum euadere pateretur, æquiore quidem in eam animo, non in Dauidem fuit. Nam cùm is fuga illa elapsus, se ad Samuelem in Ramatha contulisset, eisque omnibus quæ ipsi accidissent nuntiatis, in Naioth habitandi causa vnà profecti essẽt: Saul cùm primũ eius rei nuntius ad ipsum venisset, lictores misit, qui eum cõprehenderent. Hi autem cùm eò peruenientes, in medio cœtu prophetarum cum eis vaticinarentur, non redierunt ad Saulem. Itaq; alios

alios misit, qui etiam vaticinati sunt: quæ causa fuit, vt tertios mitteret, qui cùm etiã vaticinarentur, nec redirent: Saul ipse eò profectus est. Tã altè radices agunt in animo cùm peccata omnia, tũ vel maximè inuidia & odium, nisi statim euellantur. Eò cum venisset, ipse etiã prophetauit, quod tantam omnibus excitauit admirationem, vt prouerbiũ hoc inde natũ sit, Num Saul inter prophetas? Interim Dauid elapsus est, neq; ex eo tempore se Sauli commisit, aut eius fidei quicquam tribuit. Dedit tamen operam, quantum in eo fuit, nec multò pòst, vt cũ eo in gratiã rediret, eóq; Ionatham eius filium, quem vnum fidelissimum habebat, adhibuit, vt sciret, num illius animus placari posset. Is cũ ex patris minis & obiurgatione eius animum implacabilẽ exorabilemq́; esse intellexisset, ei quem signo & quasi tessera, quam cõstituerant, accersisset, fugiẽdum censuit. Dauid cõsiliũ quod Ionathas dederat, sequutus, in Nobe primùm ad Abimelech cũ paucis profectus est. Abimelech quærenti, cur ipse qui regis esset gener, cum tam paucis venisset, respondit, à Saule se missum esse cũ paucis, ne quis cur mitteretur intelligeret. Cũ

ret. Cum ipse eiusq; comites fessi esurirēt, rogauit Abimelech, vt si quid haberet, depromeret. Ille qui nihil pręter cōsecratos panes haberet, quos nefas esset cuiquam, nisi sacerdotibus, comedere, cùm eū atq; comites à mulieribus se astinuisse ex Dauide audiuisset, panes protulit. Quod vtriusq; factum necessitate, quemadmodū Seruator ipse interpretatus est, habuit excusationē. In quo illustre nobis exemplū proditur. Si enim Abimelech nō antè Dauidi eiusq; comitibus panes consecratos proferre dareq; voluit, etiam imposita necessitate, quàm castro corpore ac pudico eos esse cognouisset: qua nos castimonia & pudicitia esse debemus, cùm ád sacrosanctū panē, id est, ad verū Christi corpus sumendū accedimus? Ibi autē Dauid non est multos dies commoratus, quòd, quoniam Doeg Idumæus, qui Saulis mulas pascebat ibi esset, vereretur, ne eius indicio ab illo cōprehenderetur. Itaq; sumpto Goliath gladio, cū alius nullus esset, ad Achis regē Geth fugit. Achis simul atq; eum venisse à suis accepisset, cùm eū esse dicerēt, qui, vt omnes profitebantur, decem millia intermisset, ob eā causam eius videndi summa

cupiditate tenebatur. Itaq; eum intromitti ad se iussit. At Dauid qui magnoperè vereretur, ne ob eas voces quæ de ipso iactatæ essēt, interficeretur, insani desipientisq́; personam, cum intromissus esset, induit, maluitq́; prudentiam virtutemq́; suā simulatione amentiæ seruare, quàm proditam ac patefactā alieno & tempore & loco, in certum adducere periculum. Amentis autem & desipientis signa adumbrata hæc in eo animaduersa sunt: Os suum coram Achis immutauit, collabebatur inter manus eorum qui introduxerant: nutabat & impingebat in portæ ostia: ei saliua in barbam defluebat: quæ cum omnia Achis animaduertisset, ex suis quærere cœpit, Sene dignū putarē t, ad quē furiosum & in sanū adducerent? Itaq; eū è cōspectu suo statim remouendum curauit. Hac arte Dauid elapsus, in speluncam Odallam venit. Quod cùm fratres resciuissent, ad eum profecti sunt. Et eius statim fama adducti omnes, qui ære alieno diruti erant, aut calamitate aliqua oppressi, numero fere quadringēti, ad illum confluxerunt, quibus volentibus & rogantibus præfuit. Erat tum Gad propheta, qui ad eum adiēs, illum monuit, vt inde

inde in Iudæam,quòd non ſine ingenti periculo illic eſſet,proficiſceretur. Venit ergo Dauid in ſaltum Hareth.Saul qui eum, vt dixi,omni ratione quæreret,cùm illum viſum eſse intellexiſſet,apud ſuos conqueſtus eſt,ſe & à Ionatha filio,qui fœdus cum Dauide fecisſet, deſertum eſſe,&à ſuis omnibus cum hoſtem ipſius tandiu viuere paterentur,nec vbi eſſet,indicarent.Cæteris tacentibus,Doeg Idumęus,qui eum Nobe cum Abimelech, vt dixi,vidiſſet, illum ſe ibi vidiſſe dixit,& Abimelech pro eo Deũ conſuluiſſe cibariaq́; miniſtraſse,atq; Goliath gladium tradidiſſe. Accerſitum Abimelech Saul hac de cauſa, omneſq́; ſacerdotes quinq; & octoginta numero,cùm illum vt coniuratorem condemnaſſet capitis,interfici vnà cùm ſacerdotibus iuſsit. Quod cùm cæteri facturos ſe eſſe pernegaſsent,quod nefas ſibi in ſacerdotes manus inijcere dicerent, iuſsu Regis Doeg omnes interemit. Neque hoc eis fuit, ſed Nobe ſacerdotum vrbem deleuit,cęſis mulieribus,pueris,beſtijſq́; omnibus. Abimelech tãtùm filius Abiathar nomine euaſit, qui cùm hæc omnia,in primiſq́; ſacerdotũ cædem Dauidi nũtiaret, is qua erat animi

religiõe prędítus, ſua culpa cũ illa omnia, tum patris illius atq; domeſticorũ cædẽ, magno cũ gemitu dixit accidiſſe. Cùm etiã tum eſſet in ſaltu Hareth, nũtiatum eſt ei à Ceilanis Palæſtinos Ceilam oppugnare. Conſulendum ergo ſibi Dominũ cenſuit, num eò proficiſceretur, Palęſtinoſq; interficeret. Cũ etiã Deus reſpondiſſet, atq; ille eò ſuis eundum eſſe ſignificaſset: illi à conſilio eiuſmodi eum abducere conabãtur, ꝙ cũ ibi in Iudæa non ſatis in tuto eſsent, dicerent quid futurũ eſſet, ſi Ceilam in Palæſtinos mouerent. In hac ſuorũ trepidatione & metu, rurſus Deũ conſuluit, qui cũ idem quod prius reſpondiſſet, fiduciæ plenus vt ad certam victoriã eò contendit cũ ſuis. Parta victoria, cũ Saul eum Ceilam veniſſe accepiſſet, ſummam atq;, vt dicebat, certam occaſionem eius comprehẽdendi nactum ſe eſſe ratus, omnẽ populũ conuocauit, imperauitq; vt Ceilã obſiderent. Dauid Saulis conſilij & inſidiarum ſtatim certior factus, cõſuluit Dominũ, primùm, nũ Saul, ſicuti acceperat, vẽturus eſſet: deinde ſi veniret, an ceilani ipſum Sauli eſſent traditurí. Cũ etiam ad vtrunq; Deus reſpondiſſet, clàm cũ ſexcentis abijt, tandemq; va-

gantes

gantes & palantes ad montem ſolitudinis Ziphniæ peruenerunt. Aliquandiu illic morati erant,& Saul Dauidē ſemper quærebat, cùm Ziphæi nuntiatum venerunt, vbi Dauid,quē tanto ſtudio quæreret,latitaret.Eis collaudatis pręcepit, vt diligēter ſcrutarētur loca, in quibus deliteſceret cū ſuis,quæ cū reperiſſent, renuntiatū venirēt,vt ipſe eos omnes comprehēderet. Illi cum loca explorasſent,Saulē certiorem fecerunt. Saul autem cū ſuis magna celeritate ſubſequutus, in ſolitudinē Maon venit. Ibi Dauid cùm ipſe cum ſuis in altera latitudinis montis parte eſset, & Saul cū ſuis in altera,qui montem cingebāt,in tantam ſalutis deſperationem venerat, vt de ſe actum putaret:cū venerunt ad Saulē,qui eū monerent,vt properaret &veniret infeſto exercitu in Palæſtinos,qui iam fines regni occupauiſſent.Quo nuntio ita perterritus fuit, vt perſequēdi Dauidis finem fecerit. Ita Dauid cùm euaſiſset, ſe in loca tutiſsima Engaddi recepit.Saul cū fuſis fugatiſq; Palæſtinis,reuerſus ibi Dauidē eſſe comperiſſet,delectu habito tria millia ſumens,in eū infeſto exercitu cōtendit tanto ardore, vt illi⁹ inueſtigādi cauſa,per ſaxa,quę ſolis

ibibus peruiæ erant, incedert. Dauid tum cum ſuis in ſpelunca latebat,in quam cùm Saul alui purgandę cauſa intraſset,Dauidē ſui monuerunt,veniſse diem, quo Dominus ipſius inimicum eius manibus traditurum eſſe promiſerat. Quo quidem tempore Dauid pulcherrimum ex omni memoria clemētiæ moderationiſq́; animi poſteris exemplum prodidit. Cum enim Saulē acerrimum hoſtem facilè interficere poſſet tantū abeſt, vt aut fecerit,aut voluerit, vt etiam cū oram eius tunicæ tantùm præcidiſset iniecta ſuſceptaq́; religione illis dixerit:Deus prohibeat,ne in eius chriſtū aliquid audeam : precatusq́; Deū ſit vt ſibi illam culpam remitteret.Hoc tamen Sauli indicare non dubitauit, vt vel tanta animi ſui aduerſus hoſtem moderatione ad miſericordiam clementiamq́; flecteret. Nam cùm ex ſpelunca egreſſus,cœptum iter perficeret, ei à tergo eminus partē chlamydis monſtrauit,multisq́; verbis expoſuit,& innocentiam ſuam tum in omni vita,tum in tanta vlciſcendi opportunitate,& illius iniurias.Saul qui hæc negare non poſset,primùm fleuit : deinde illum ſe æquiorem melioréq́; eſſe profeſſus eſt,q́uòd de malè

merito,

merito,& merente bene meritus eſſet: poſtremò cùm certò ſe ſcire dixiſset, eũ regno eſſe potiturum,eũ ſiue rogauit,ſiue monuit,vt ſe nec poſteritatem,nec nomen ipſius deleturum eſſe iuraret. Hoc cum Dauid feciſset, Saul cum ſuis domum redijt, ipſe etiam cum ſuis ſe ad tutiora loca, Saulis fidei nihil in poſterum tribuendum ratus,recepit. Quis nõ Saulẽ tanto ab hoſte accepto beneficio ſua etiam confeſsione, credat deinceps,falſis inimicitiarum ſuperiorũ cauſis & ſeminibus depoſitis,in ſummo amicitiæ honoriſque gradu collocaſſe Dauidem & quandiu vixit, habuiſſe? Non ita eſt,ſed ſtatim ad ſe ſuoſq; mores homo omnium, qui vnquam fuerunt,immaniſsimus & ingratiſsimus,redijt.Primùm enim Michol eius vxorẽ filiam ſuam, Phalti Lais filio Gallimino contra iura omnia tradidit.Deinde cùm eum in colle Hachila è regiõe ſolitudinis eſſe cognouiſſet, delectu iterum habito,cum tribus milibus in eum mouit. Qua quidem in expeditione & Dauidis ſimilem ſuperiori animi moderationem, & parem Saulis amentiam licet animaduertere. Nam cùm Dauidẽ perſequẽs Saul appetente nocte in tabernaculis ipſe

cum suis quieti se dedisset, noctuq; ad eũ veniens Dauid, eandem aut etiam maiorẽ eius interficiẽdi occasionẽ nactus esset, tamen ijsdem verbis vsus, minimè fecit: sed hasta quæ ad caput posita erat, sumpta cũ scypho, cũ in cacumen mõtis ascendisset, clamoreq; magno Abner nomine appellãs, eũ partim rideret, partim obiurgaret, quòd regem diligenter nõ custodisset, cũ eius hasta cũ scypho ablata esset, eo dormiente: rursus apud Saulẽ, qui eius vocẽ exaudisset, primũ de iniurijs questus est: deinde eũ monuit, vt puerũ mitteret, cui hastam & scyphum esset redditurus. Saul ne hoc quidem altero hostis quem habebat, beneficio, inimicitias ex animo deposuit, sed tantũ simulato dolore ad perniciem, & se peccasse dixit, & Dauidi bene precatus est. Itaq; Dauid cum tam sæpe, non insidijs quidẽ, sed aperto odio & impetu ab eo se inuadi videret, veritus, ne tãdem aliquando in illius manus incideret, in regionem Palestinorum sibi fugiendum censuit. Ibi cùm quatuor menses habitasset cũ Achis rege, de quo paulò antè dictũ est, quo tempore ab eo vrbem Siceleg habitandi causa impetrauit: Palæstini comparare cœperũt

omnia,

omnia,quæ bello erant opus, quod cũ Iudæis gerendum susceperant.Quo quidem in bello cum Saul fugiens se interfecisset, Dauid , non vt homines solent , ex hostis morte lætitia affectus est, cùm eius nũtius ad ipsu m allatus esset,sed magnum animo cepit dolore m , eumq́; & ipse mortuũ magnis laudibus ornauit , & viris Iabes Galaad qui sepelissent,bene precat' est.Mortuo Saule,ipse de domini cõsilio & senten tia in Hebron venit . Ibi tribus Iudæ eum Regem cõsecrauit, vt sibi regali potestate præesset. Cæteris eñ tribubus duobus an nis imperauit Isboseth Saulis fili',& secun dum e um eius filij . Annos triginta natus erat, cũ regnum adept' est, Saule mortuo. Nũc sequitur, vt quomodo se in regia potestate gesserit,dicamus. Eandé animi mo derationem,quam ante regnum,in hostes eorumq́; posteros,seruauit. Quòd cũ mul tis exemplis docere posśim, tamẽ duobus ero cõtentus . Isboseth Saulis fili' Abner, qui Ner filius erat,opera rex creatus, cæte ris tribubus, Dauid autẽ Iudæ tantũ impe rabat:quo nomine tantũ abest,vt eis infestus fuerit, aut incõmodi aliquid dederit, aut ijs malis & calamitatib', quę eis accide

 runt,

runt,lætatus ſit, vt & Abner mortuum lu-
xerit ac laudauerit,& Isboſeth interfecto-
res Rechab & Baana,cùm ad eũ illius mor-
tis,vt eius hoſtis,nuntium afferrent,quaſi
ex eo lætitia afficeretur, grauiſsimè obiur
gatos interimendos continuò curauerit.
Cõpletis ſeptem annis Isboſeth, poſteriſ-
que eius mortuis, reliquæ tribus cùm eis
in mentem venirent, quæ Dauidi Deus vi
uo Saule de regno pollicitus eſſet,eum ſi-
bi regẽ delegerunt. Primo quoq; die Hie
roſolyma cum ſuis venit,Iebuſæoq́; fuga-
to & victo, regiæ ædificandæ montem
Sion delegit: quod cùm Hiran Tyri rex
audiuiſſet, ei miſit muneri, eius ædifican-
dæ cauſa,ligna cedrina,artificeſq́; lignorũ
& lapidũ,id eſt, architectos.Pauca ille bel
la geſsit, ſemper victoria potitus eſt. Pri-
mum fuit Palæſtinũ. Palęſtini enim ſimul
atq; eum ab omnibus delectum eſse regẽ
accepiſsent,in eum infeſto exercitu vene-
runt.Dauid autem cùm Deũ conſuluiſset,
num in eos moturus eſset, de illius conſi-
lio exercitum in eos educens, nullo nego
tio tanto iniecto metu eos fugauit, vt ſi-
mulachra ſua reliquerint. Palæſtinum e-
tiam ſecundum fuit. Sed non eodem mo-
do eos

do eos vicit. Nam de Domini consilio nó recta fronte in eos contendit, sed à tergo eos aggressus est, cùm sonum in pyrorũ cacumine exaudisset, quem ei quasi tesseram & signum prælij Deus dedisset. Pace ita facta, vt eius hostes, siue metu coacti, siue viribus defecti quiescerent, animum ad religionem diuinumq; cultum contulit. Arcam Dei, quæ in Gabaa apud Abinadab locata fuerat, delectis triginta hominum milibus, vehendam plaustro domum Obed Edom Gethæí primùm curauit: deinde cũ illi omnia prosperè euenire intellexisset, id fieri propter arcam ratus, domum suam tertio mense quàm illuc translata fuisset. Neq; verò hoc suo in Deum officio contẽtus est, sed cum nefas esse duceret, se in domo cedrina habitare, & arcam Dei in medijs pellibus relinqui, domũ ei magnifico opere ædificare constituit. Itaq; cum Nathan, qui tũ propheta erat, cõmunicato cõsilio suo, quod ille probauit: quod animo opus concepisset & instituisset, perficere volebat, cùm noctu Nathan Deus per quietem præcepit, vt Dauidẽ moneret, ne hoc faceret, quod reseruatum esset eius filio, cuius regni solium in omne tempus con-

ſtitueret:ei etiã diceret,cùm illũ primo ab ab ouibus in regnũ extuliſset, deinde adhuc ab inſidijs hoſtiũ ſuorũ liberaſſet,ſe tamen eundẽ in poſterũ ab omnibus hoſtibus eſſe liberaturũ,ſic,vt ſoliũ eius à nemine labefactari euertiq́; poſſet. Non elatior ſolitò,his tã magnis Dei promiſsis impulſus,Dauid fuit,ſed eadẽ animi ſubmiſsione retenta,ſtatim apud Deũ & ſui abiectionem,& illius magnitudinẽ expoſuit: eiq́; pro tantis & ſuperioribus in ſe beneficijs, & ijs deinceps, non ſibi tantùm ſed etiam poſteris promitteret, ampliſsimis verbis gratias egit:& ſupplex eum rogauit,vt quę ipſi pro ſua humanitate polliceretur efficeret, vt eius nemini laus,honoſq́; tribueretur. Quod Deus Dauidi de hoſtib⁹ ipſius promiſit,in otio & pace futurum eũ, ſic vt ab illis turbari impediriq́; non poſſet, id paulò pòſt effecit. Primos eñ Palæſtinos ſubegit: ſecũdũ eos Moabitanos, nõ ſolùm vicit,verumetiã fecit ſtipendiarios. Tum Adarezer Soba Regem, cum Euphratis accolas eorumq́; regionẽ ſub ditionem ſuã ſubiungere vellet,educto eius rei cauſa ingenti equitum peditumque exercitu,captis mille ſeptingentis equitibus, & viginti mili-

milibus peditũ, afflixit: neq; eũ modo, sed etiam Syros, qui ei auxilio venerant, cæsis ex eis viginti duob⁹ milib⁹, ita vicit & subegit, vt eos stipendium pendere coëgerit. Ex ære autem quod multum in duabus vrbibus Adarezer, Bere & Beroth diripuit, Salomon in tẽplo ꝙ ædificauit, vasa ænea & columnas ac mare æneum fecit eius præscripto & iussu. Ad illa enim opera illud reseruauit. Quinetiàm ingentem auri & argenti vim, quam partim ex manubijs Adarezel regis, ijsq; populis quos subegit, partim à Thou rege Emath accepit, cum ad eũ Ioram filium suum cum donis misit, qui ei victoriam qua in Adarezel, vt dixi, potitus est, gratularetur, omnẽ in templi ædificium contulit. Bellum deinceps Ammoniticum ortum est graue & cruentum, cui causam Dauidis officium dedit. Nam cùm rege mortuo, qui fugienti Dauidi Saulis conspectũ, humanũ se præbuerat, memor beneficij accepti, misisset ex suis, qui Hanonẽ eius filium ex patris morte tristẽ consolarẽtur: Principes Ammonitanorũ officiũ insidias interpretantes, Hanoni persuaserũt, legatos à Dauide missos esse, nõ qui ipsum cõsolarentur, sed specularẽtur vrbẽ &

omnia,

omnia,vt euerterent. Itaq; Hanon credulus,eis siue ignominię,siue supplicij causa, vt dimidia barbæ pars raderetur, vestesq́; ad nates pręciderentur,imperauit,atq; ita remisit. Quod cùm Dauidi nuntiatũ esset, quia tũ barbam non alere ignominię erat, Hiericho eos quoad barba creuisset, manere iussit. Ipse Ioab ducem cum ingenti exercitu misit,qui bellũ gereret cum Ammonitanis & quatuor regibus, quos illi mercede cõduxerant, quòd Dauidẽ illam iniuriam non inultam passurum esse intelligerent. In prælio Ioab cum Ammonitanis Abaisai fratri dedisset, ipse omnes ad fortiter pro Republica & ciuitate Dei pugnandum cohortatus, in Syros mouit. Syri cùm primum impetum sustinere non possent,fugerunt,eorumq́; exẽplo Ammonitani. Ammonitani autem, qui Syros trepidasse animaduerterent, se ex fuga receperunt, vt pugnam redintegrarent. Simili exemplo Adarezel Soba rex suos, qui flumen traiecerant,collegit,eisq́; Sobath præfecit ducem. Ioab qui de belli renouatione nihil suspicaretur,dimisso exercitu Hierosolyma ad Dauidem, reuersus est. Itaq; cum eius rei nuntiũ accepisset Dauid, cõ-

tractis cōmparatisq; copijs, non Ioab misit, sed ipse exercitum in eos eduxit trans Iordanem. Instructa acie, cùm manus conferendæ essent, Syri in fugam se dederūt, quos persecutus Dauid cum suis, septingē tos currus & quadraginta millia equitum interfecit, atq; in his Sobath belli ducem. Quod cùm vniuersi reges, qui erāt in præ sidio Adarezel cernerent, metu & trepida tione coacti, fugerūt quinquaginta octo millia. Pacē paulò pòst cū Iudæis fecerūt, ita vt se eorum seruos faterentur. Anno insequenti, quoniam Ammonitani se nollent dedere, misit Dauid Ioab, qui eorum fines cum exercitu popularetur. Ioab Rabba vrbem illorum munitissimam obsidente, Dauid tantus & vir & imperator, leui ex causa adulterium commisit. Quod eò libentius commemorabo, vt omnes intelligāt, nullam esse virtutem pudicitiamque tantam, quæ, nisi omnem etiam leuissimam causam & occasionē sceleris, vt acerrimū immanissimumq; hostem vitemus, nō dico ad extremum, sed facilè & citò expugnari vinciq; possit: neq; hoc tantùm, sed etiam ex peccato ac scelere, quod ita admittitur, aliud multò grauius nasci solere.

lere. Obſidebat,vt dixi,Ioab Rabba Ammonitanorũ oppidũ,cum Dauid certo die ex lecto ſurgens à meridie,ambulanſq; in Regiæ ſolario, vidit Bethſabee Vrię Hethæi mulierẽ,ſe è regione in ſolario ſuo lauantẽ. Eius elegãti forma captus,cũ à ſuis quænã eſſet,quęſiuiſset,eis dat negotiũ,vt illã ad ſe accerſitã introducerẽt.Cũ introducta eſset,cũ ea cõcubuit, ex quo illa primo cõcubitu concepit: quod q̃ primũ Dauidi nuntiauit. Ipſe ne ex ſe illa cõcepiſse videretur,primo quoq; die Vriã ab obſidione euocat,multaq́; cũ eo de obſidiõe collocutus,eũ domũ ipſius vt curaret corpus, abire iuſſerat. Ille autẽ manſit Hieroſolymis in regia: quod cũ mane Dauid reſciſcens, eũ ea de cauſa obiurgaret, idẽ nefas eſse reſpondit,cũ ipſius,qui Domin⁹ eſset, miniſtri, omniſq́; exercit⁹ in tabernaculis humi cubarẽt,ſe cum vxore domi cubare. Alia igitur via eò illũ Dauid perducere conatur: plus ſolito vinũ ei propinari iubet, quo ebriũ dimittit,nec profecit hilũ.in regia enim etiam cũ Domini ſeruis ea nocte dormiuit. Cũ iã ei ſe illud perſuadere poſſe diffideret, nuptijs adulteriũ ſibi tegendũ cẽſuit.Dedit Vriæ ad Ioab literas,in quibus

bus illi præcipiebat,vt in eo loco Vriã col locaret,in quo certa ei mors ab hostib' im mineret. Quod cùm ille fecisset, mortisq; illius nuntium ad Dauidẽ misisset, Bethsa bee post tẽpus luctui constitutum accersitam duxit vxorem. Deus hæc duo Dauidis scelera grauiter & acerbè tulit. Itaque Nathan prophetam ad eum misit, qui ei rem vt alienam obscurè narraret, vt cũ eam in alia persona cõdemnasset, se etiam ipse ca pitis reum esse iudicaret. Dicebat diuitẽ quẽdam hominẽ, cui esset magnus & boũ & ouium numerus, cùm peregrinus quidã ad eùm venisset, non sumpsisse de grege suo ouem quam peregrino apponeret, sed furto abstulisse pauperi cuidã ouem, quã vnam, ob eamq; rem charissimã haberet. Dauid qui rem nefariã esse animaduerteret, Nathan nihil præterea narrare passus, virũ illũ reum capitis esse dixit, & quadru plum redditurũ. Cùm Nathan illum virũ eiusmodi esse dixisset, ei verbis ipsius in eũ beneficia, quę suprà cõmemorauimus, exprobrãdo exposuit, ac supplicij causa ei suorũ in ipsum cõiurationẽ, incœstusq; eo rũ inter ipsos prædixit. Cũq; se Dauid Do mino peccasse professus esset, tũ ei pecca-

tum

tum à Domino translatũ esse dixit,ita dun
taxat,vt filius qui ex adulterio natus esset,
paulò pòst excederet è vita. Ex quib⁹ intel
ligi potest,peccati culpam à Deo hic remit
ti,eius retẽto ac reseruato supplicio:quòd
si hic,etiam in futuro seculo.Nec dubium
est, quin eodem modo peccata sceleráque
nostra,quæ hic admittimus,sæpe Deus in-
flictis immissisq́; supplicij causa calamita-
tibus , aduersisq́; rebus,puniat , eo animo
quo pater liberos vt nos in viam reducat,
ne,vt ait Paulus,cum hoc mundo damne-
mur. Sed quoniam eas calamitates & mise
rias non scelerum nostrorũ causa , neq; vt
vel hoc modo docti ad pœnitentiam & ad
Deum redeamus, immitti consyderamus,
sed eas vel fortunæ,vel fatis nostris,vel a-
lijs causis tribuimus : in peccatis nostris fe
rè perseueramus,nec ex eis,Dauidis exem
plo,fructũ qui proponitur,capim⁹. Sed ad
propositum reuertamur . Tria hæc quæ
supplicij causa , Dauidi Dei iussu Nathan
propheta prædixit , consequuta sunt , nec
ita multò pòst.Primùm quidem puer sep-
timo die mortuus est, nec Dauid , ne ille
moreretur, precibus suis,ieiunijs atq; ge-
mitu impetrare potuit. Inde paulò pòst
sequu-

ſequutus eſt incæſtus. Nam cùm Thamar Abſalom Dauidis filij ſororẽ Amnon eiuſdem frater, ſed ex alia Dauidis vxore, adamaret, neq; fieri poſſe animaduerteret, vt deſyderiũ illud ſuum tam nefarium expleret, propterea quòd illam caſtam & pudicam ſciret eſſe, ex amore, vt fit, quotidie tabeſcens ægrotare cœperat. Morbi autẽ ſui cauſam Ionadab Semmaa qui Dauidis frater erat, filio, quo multũ vtebatur, diu quęrẽti tandẽ expoſuit: cuius quaſi lenocinio cùm Thamar ad illum adducta eſſet, eá vi cõſtuprauit. Abſalom eius frater ſororem ex amiſſa pudicitia triſtẽ, conſolatus, cùm Amnon nullam inimicitiarũ ſpeciẽ huius rei cauſa oſtendiſſet, biennio poſt, ebrium ex inſidijs cùm eum vnà cum cęteris fratribus animi laxandi cauſa tondẽs oues inuitaſset, per ſuos interfecit. Atq; in hoc quidem ſecundo nõ ſolum incæſtus fuit, ſed etiam fratricidiũ. In eo autẽ, quod tertio loco incidit, filij in parentẽ pro regno dimicatio. Abſalom enim cæſo Amnon fratre, cùm patris conſpectũ fugiẽs in Geſſur bienniũ cõmoratus eſſet, atq; biennio cõpleto Ioab aſtutia pro illius in eũ amore, in Dauidis patris gratiá reductus, rediiſſet,

ita duntaxat, vt se domi suæ cótineret, neque patrem videret, tandemq; aliquandò eiusdem opera patri productus & oblatus esset: tamen non contentus tanta patris in se pietate & clementia, regnum affectauit, & quantũ in eo fuit, vsurpauit. Ac primũ quidé, currus & equites, ac quinquaginta viros, qui se antecederét, adiũxit, omnesque eos, quos ad regé iudicia venire cogebát, audiebat, eisq; iura dicebat, atq; eodé modo cæteros ad defectioné solicitabat. Deinde septimo & tricesimo imperij Dauidis anno, adiens ad patrem, ei exposuit, se cùm in Gessur illius conspectum fugiens maneret, nuncupasse votũ, cuius exoluendi causa in Hebron, si modò permitteret, vellet proficisci. Quod Dauid eius nefarij consilij ignarus, facilè concesit. Absalom autem in Hebron regni occupandi causa & animo proficiscens, adiunctis ducentis eius consilij ignaris, misit speculatores in omnes tribuum regiones, qui audito buccinæ sono hoc prædicarét, Absalom in Hebron regnat. Quod prędconium subsequutus est ingens hominũ numerus Absalom sequentiũ. Huius rei nuntius ad Dauidem Hierosolyma allatus, tantam ei perturbationem

tionem trepidationemq́, iniecit, vt ſubitò ſuis dixerit eſſe fugiendũ, propterea quod ſi Abſalõ veniret, omnes opprimeret, atq; interficereret, neq; euadẽdi loc⁹ relinqueretur. Pręparatis ſuorum animis, ipſe egreditur, cumq́; pedibus ingredientẽ ſexcẽti pedites anteceſſerunt. In tanta regis miſeria & calamitate omnib⁹ in lachrymas prorumpentibus, ipſe tamẽ in Dei benignitate ſpes ſuas omnes ſitas habebat, ſeq́ue ita cõparauerat, ferre omniũ cõuicia, eiſq́; qui illorũ cõtumelias & maledicta capitis ſupplicio ſe vlciſci velle dicebãt, vetabat, ne facerẽt, quòd & Deus iuſsiſſet, & ſi Abſalõ filius interficere patrem conaretur, quãtò magis alij? Achitophel Gilonita, cuius cõſilijs Dauid maximè nitebatur, ad Abſalom ab eo accerſitus, transfugerat: quod poſtea quàm reſciuiſſet rex, Deũ vt Acitophel cõſilium impediret, ſupplex rogauit. Statim quaſi auditũ ſe intelligeret, Chuſai Arachitæ, qui ei diſciſſa veſte opertoq; terra capite obuiam prodijſset, negotiũ dat, vt ſe ad Abſalom deficere ſimulet, quòd ita facilè Achitophel conſiliũ poſſet retardare. conſilium autẽ illius Abſalom quærenti datũ, fuit eiuſmodi. Primò cõſilium ei dedit, vt

Hierosolyma ingressus, decẽ patris concubinis,quas regiæ custodes reliquisset, stuprum offerret. Deinde cùm tã nefariũ scelus cõmisisset,pollicitus est se delecturum duodecim milia hominũ,quibus ea nocte Dauidẽ fessum cũ suis facilè oppresũ trucidaret:quo interfecto, fore vt omnis populus eũ regẽ crearet. Chusai secũdum eũ in consilium adhibitus est,qui improbato Achitophel consilio,suum exposuit,quod Absalom sequutus est. Quod cùm Dauidi significasset,quamprimũ fuga euasit. Achitophel autem cùm spretum consilium suũ cerneret,inserto in laqueũ collo se suspendit. Absolom nihilò minus patrem persequebatur.Dauid dispositis suis populi authoritatẽ sequutus,remansit in castris cùm Ioab & Abisai atque Ethai,quos tribunos tribus exercitus partibus prefecerat,imperasset audiẽte populo,ut Absalom filiũ seruarent. Sed minimè prauit. Nam cùm Dauidis exercitui Absalom in mulo sedens occurrisset, fugiensq; ilicem excelsam & dẽsam preteriret,eius capilli sic inter frondes heserunt, vt mulo currente,ipse ex arbore penderet: quod cùm Ioab nũtiatum fuisset, tribus eum lanceis confodit. Hoc,
præcla-

præclarum eſt ad præcauendũ exemplũ cõ iuratoribus: illud ijs, qui malum dant con ſilium. Dauid autem accepto mortis Abſa lom nuntio, tãtum abeſt, vt ex eo quaſi tutus & vltus lætatus ſit, vt maximum animo dolorem ceperit, eumq́; magno deſiderio ſæpe appellans, magnam vim lachrymarũ profuderit. Itaq; Ioab dux belli cùm hoc accepiſſet, omneſq́; in Regia cũ rege in luctu eſſent, ad eũ conſolandi cauſa veniens, ſiue vt eum ad lætitiam traduceret, ſiue ꝙ ita ſentiret, illi inimicos charos eſſe dixit, amicos odio. Nec verò in mortuos talis fuit, in viuos nõ item: ſed quã moderationem cõſtanter, antè quàm rex eſset, eũ habuiſse tã in viuos inimicos, quàm in mortuos docui, eandem non ſolùm aduerſus mortuos, vt modò demonſtraui, retinuit, verùm etiã in viuos. Semei enim Gera filio ex Saulis genere, qui in eum Abſalom filij conſpectũ præ trepidatione, vt paulò antè dixi, fugientem, maledicta ita iecerat, vt fu gam illã calamitoſam & miſeram pro meri tis ei accidiſſe diceret, cùm Abſalom mortuo, in primis ei gratulatũ victoriam veniſ ſet, ac ſuppliciter, vt ſibi veniã daret preca retur, libenter ignouit, idq́; iureiurãdo cõ

firmauit: & ſi eum Abiſai, Ioab frater ſupe riorum illorum conuiciorum commemoratione ad ſumendū de illo capitis ſupplicium incitaret. Hoc etiam in eo laudandū eſt, quod nihil ſibi rei deinceps eſſe voluit cū decem cōcubinis, quas Abſalom filius, vt paulò antè expoſui, violauiſſet. Quoniā qualē ſe hoſtibus præbuerit, dixi, non erit alienū, quomodo in amicos animatus fuerit, exponere. Amicitias ſanctiſsimè coluit, nec amicos amauit tantùm in vita, & in aduerſis rebus, verùm etiam in ſecūdis, & poſt mortem. Ionatham Saulis filium ex omnibus dilexit plurimùm: atq; verè vt dicam, nullum fuit vnquam par amicorū præſtātius. Ionathas quidem eo animo in Dauidem fuit, vt Saulis patris inimicitijs & odio nunquā deterreri potuerit ab amici officio, tum cùm ad necē quæreretur. Dauid autem & ſi tempus nunquam incidit, in quo ſuum in Ionatham animū, quādiu ille vixit, re declararet: tamen non minus eximio & ſingulari in eū fuit, quàm ipſe in illum fuiſset. Quod quidem in Miphiboſeth Ionathæ filio animaduerſum eſt, cui agros Saulis omnes patris ſui cauſa dedit, eumq; ſemper ſecū voluit eſſe. Quoniā au

tem

tem insigni maximaq; erat, vt docui, in hostes charitate & mãsuetudine prȩditus, eos qui iniurias aut ipsiꝰ aut suas, aut aliorũ vlciscebantur, erantq; ad irã propensiores, nec sibi imperabant, oderat. Huius rei testes sunt Baana & Rechab, qui cũ Isboseth Saulis filiũ quasi gratũ ei facturi essent, intermissent, statim ab eo, vt paulò antè dictũ est, iussi sunt interfici. Hoc quanquam in Ioab qui Abner subdolè interfecerat, acerbè & inuitus tulit in vita, quod eius, vt arbitror, sibi necessariam operam videbat: moriens tamẽ Salomoni filio, qui ei in regnum successit, ne inultum ferret, quodam modo præcepit. Quo verò animo in populum quẽ ei Deus gubernãdum tradiderat, fuerit, ex hoc perspici potest. Cẽseri populum suum à Ioab voluerat: in quo cùm se peccasse intelligeret, culpã Deo confessus est, ab eoq; vt sibi ignosceret, postulauit. Deus Gad prophetam misit, qui ei trium optionẽ daret, pestis, famis, & belli: famis quidẽ annis septẽ, pestis tribus mensibus, belli tribus mensibus, quibus aduersarios persequentes fugeret. Ipse in tanta deliberandi difficultate: qui famẽ facilè vitare posset, malleque se in manus Dei, quòd

misericordiam eius maximam esse sciret, quam hominũ incidere, diceret, pestilentiam maluit. Cumq; intra cõstitutum tempus septuaginta millia hominum peste interijssent, videns angelum qui populũ interficiebat, vt bonus pastor, his cum Deo agebat, Ego sum qui peccaui, & sceleste feci: hi autem qui oues sunt, quid fecerunt? Hoc pastoribus Ecclesiæ ijsq; omnib9, qui alijs præsunt, præclarum exemplum proditũ est, vt se à peccatis abstineant, ne peccato suo supplicij causam suis afferant. Restat, vt quot vxores habuerit Dauid, quotque ex eis liberos, & quos susceperit, quẽque se eis præbuerit, dicamus. Octo quidẽ eum vxores habuisse scriptum est, & concubinas decem: quod non explendæ libidinis causa fecit, sed propagandi generis, quemadmodum etiam patribus licuit plures habere. Prima omniũ fuit Michol Saulis filia, quam quòd Saul Phalti ipso ignaro & inuito nuptui tradidisset, illo mortuo, cùm iam in Hebron regali potestate imperaret, à Misboseth Saulis filio, qui cæteris tribubus regia potestate præerat, repetitam, recepit, eam cũ lachrymis vel deducente, vel sequente ipsius viro. Ea quoniam

niam Dauidem lætitia gestientem atq; sal
tantem cùm arca Dei Hierosolyma porta-
retur, irriserat, sterilis fuit. Alteram acce-
pit Iesraëlitidem Achinoam nomine: ter-
tiam, Abigail Carmelitidem, Nabal viro e-
ius mortuo: quartam Maacha Tholmai
Gessur regis filiam: quintam Aggith: sex-
tam Abital: septimam Eglam: octauã Beth
sabee. Ex his septem vxoribus quindecim
filios suscepit, vnamq; filiam, cui Thamar
nomen fuit. Ex Achinoam Amnon primo
genium: ex Abigail, Danielẽ: tertium Ab-
salom ex Maacha: ex Aggith, Adoniam: Sa
phariam ex Abital, ex Egla Iethrahã: Hie-
rosolymis ex Bethsabee præter eum qui
septimo ortus die, vt dixi, mortuus est,
Simmaa, Sobab, Nathan & Salomonem: Ie-
baar etiã, Elisua, Eliphalet, Noge, Nepheg,
Iaphia, Elisama, Eliada atq; Eliphelet. No-
uem hi postremi ex qua, quibusue vxori-
bus nati sint, non constat. Literis etiam di
uinis mandatum est, eum ex concubinis
suscepisse liberos, sed quot, quiue fuerint,
non perinde cõstat. Quin ne hoc quidem
proditum est memoriæ, quibus negotijs
ac rebus Dauid liberos suos præposuerit.
Salomonem autẽ qui maximus natu erat
 eorum,

eorum,quos ex Bethsabee suscepit,vnum ex omnibus charissimum habuit,eumque paulò antè quã excederet è vita,regni successorem,quòd ita Deus ei patefecisset, instituit:nec instituit solùm,verùm etiá consecrari voluit,& regẽ salutari. Eũ moriens accersitum monuit: primùm,vt præceptis Dei pareret,cęremonias,iudicia & testimonia seruaret,vt ea ei euenirent, quæ euentura Deus prædixisset,id est, vt ipse & posteri regnũ in perpetuũ obtinerẽt: deinde vt ex auro,argento,ære,alijsq; rebus necessarijs,quas præparasset,templũ Deo ædificaret,quod ipse nõ potuisset ædificare, cũ valde cuperet,propterea quòd multorũ in bello sanguinẽ effudisset ; quemadmodũ ipsi Deus dixerat:postremò eos illi cõmendauit, quorũ in se fidem sine vllo scelere expertus esset:alios quorum viuens scelera tulisset,eo supplicio afficiẽdos tradidit, quod ei videretur. Aetatis quidẽ anno septuagesimo, regni autem quadragesimo, quarto cal.Ianuarij excessit è vita. Scripsit diuersis temporibus,multis varijsq; de rebus psalmos centum & quinquaginta duntaxat qui extant,quorũ pleriq; ortus Christi,mortis,resurrectionis & ascensus in cęlum

lum myſteria cōplectuntur: alij bene beateq́; viuendi præcepta continent: nōnulli eos qui in fide atque virtute ſtant, confirmant & corroborant: alij rudes & ignaros ad viam Dei ingrediendam incitant: aliqui eos, qui eam ingreſsi ſunt, ad progrediendum: ſunt etiam qui eos, qui culpa ſua de ea deflexerunt, ad eam reducāt: vt verè de eis hoc poſsim dicere, nullum eſſe librum eorum qui diuinitùs ſcripti ſunt, ex quo plus vtilitatis ad vitam præclarè atque ex virtute degēdam, omne hominum genus percipere poſsit.

IOSAPHAT REGIS IVDA Vita.


Oſaphat Aſa regis Iuda & Azubæ Salai filię filius, mortuo patre primo & quadrageſimo regni ſui anno, cum quinq; & triginta annos natus eſſet, regnare cœpit. Is quinq; & viginti annis, quibus imperauit, gratus acceptuſq́; fuit Deo, ꝙ Dauidē imitaretur: ob eamq́; cauſam magnis cū opib⁹ auxit, & gloria tanta, vt reges omnes ac populi finitimi eū metuerent, nec bellum ei inferre auderent. Quinetiam Palæſtini veteres regni hoſtes, munera & vectigal

argenti

argenti ei miſerunt,quò facilius eius amicitiam retinerent: Arabes quoq; ingenté arietum hircorumq́; numerum,id eſt,ſeptem milia & ſeptingentos. Sed operæpretium eſt,quibus rebus ita Deũ ſibi benignum humanumq́; reddiderit, exponere. Cum nihil tam inuiſum Deo intelligeret, quàm ſimulachrorum religionem, quam Hieroboam primus in Iſraëlis,deinde Roboam, & Ioram eius filius, in Iudæ regnũ inuexiſſent: nihilq́; eidem gratius, quàm illius præceptorum obſeruationé:& illam funditùs ſuſtulit, cùm primum imperium ſibi cõſtitutum eſſe vidit, & tertio imperij anno de ſeruãdis à populo eius præceptis hanc rationem excogitauit. Sacerdotes duos Eliſama & Ioram, Leuitaſq́; nouem miſit, qui in omnibus regni oppidis & vicis legem Domini tenentes,populũ docerent. Quòq́; maior eorũ orationi fides auctoritaſq́; tribueretur, eiuſdem rei cauſa quinq; ex principibus ſuis, Benhail, Obdiam,Zachariam,Nathanael, Michæam cũ eis miſit,qui omnes mandatum regis curauerunt diligenter. Quod ſequitur, quam Deo char' fuerit,declarat. Achab rex Iſraelis,à Syris Ramoth Galaad ditiõis ſuę oppidum

pidum vi captum acerbè ferebat. Cùm eũ Iosaphat eo ipso tempore inuisisset, ei rem exposuit primùm, deinde eum, vt sibi auxilium ferret, rogauit: quod ille libenter pro & cognationis & affinitatis iure concessit. Sed tamen veritus, ne id bellum ex Dei voluntate auctoritateq; gereretur, auctor illi fuit, vt eum cõsuleret. Parens ille eius consilijs, collegit adhibuitque falsos prophetas & vates circiter quadringẽtos, qui cõmuni consensu eundũ ei esse, quòd oppidũ illud recepturus esset, censuerunt. Quod cùm Iosaphat intelligeret, id est, falsos esse vates, rogare Achab cœpit, num quis Domini propheta esset, quem consulere possent. Responderat ille, esse Michæam, ex quo Dei voluntatẽ possent cognoscere: sed eum sibi inuisum & suspectum esse, propterea quòd semper ipsi mala vaticinaretur, cùm Iosaphat eundẽ monuit, ne ita loqueretur. Itaq; misit qui illum accerseret. Interea sedentibus in solijs regijs ornatu regio regibus, vniuersi prophetæ prosperum belli, vt antea, euentum prędicebant. Nuntius cum Michæam inuenisset, ei rem omnem ordine, vt gesta erat, exposuit, omnesq; prophetas dixit bona & pro

spera

ſpera polliceri:itaq;eorum ſententiam ver bis ſuis confirmaret,quòd ob eam cauſam ab Achab accerſeretur. Negat Michæas quicquã ſe,niſi quod dominus ipſi ſuggeſ ſiſſet,eſſe loquuturũ. Cùm veniſſet ad reges,rogatuſq́;ſimpliciter ab Achab ſententiam, vtrum ſuſcipere necne bellum deberet,primùm ei ſuſcipiendũ eſſe reſpondit, credo,quòd eum falſa potius prædicentibus, quàm ſibi vera prædicenti, crediturũ eſſe ſciret: deinde iuriſiurandi religiōe ac ſacramento Dei nomine adactus, ſe quod verum eſſet pronuntiaturũ:tum deniq; verum dixit,Se vidiſſe cunctũ Iſraëlis populum diſperſum in mõtibus, ouium inſtar, quæ paſtore careant, ac tum Dominum dixiſſe, non habere illos dominum: itaque vnuſquiſq; domum ſuam tranquillo animo reuerteretur. Hæc Achab ita moleſte ac durè accepit, vt Ioſaphat dixerit, an nõ verè dixiſſet: Michæam nihil boni vnquã, ſed ſemper aliquid mali ſolitum eſſe prædicere? Michæas tamẽ nihilo magis cõturbatus,hęc addidit,Miſſum eſse à Deo ſpiritum mendacẽ,qui Achab deciperet verbis prophetarum,quos adhibuiſſet in cõſilium. Sedechias prophetarum illorũ vnus, qui

qui hæc audiens ſibi ac collegis iniuriam factam eſſe putaret, Michæę colaphum infregit, obiurgans eum, quòd illa dixiſſet, quaſi verò ipſo deſerto ſpiritus Domini eius ore loqueretur. Michæas ad hæc non reſpondit, niſi eum illa quę diceret, viſurũ eſse tum, cùm per cubicula multa viciſsim ſeruãdi ſui cauſa diſcurreret. Hanc iniuriã alia etiam grauior conſequuta eſt. Achab enim Micheã cõprehenſum ad Ioas Amelec filium eo cõſilio miſit, vt eum in carcerem conijceret, panemq́ue ei & aquam tantũmodo præberet, dum pace facta à bello reuerteretur. Michæas autem hæc omnia æquo placidoq; animo accipiens, hoc tantùm reſpondit: Si ille cum pace rediret, Dominum ore ſuo loquutũ non eſſe. Ita ſpreto contemptoq; Michæę conſilio, Achab vnà cum Ioſaphat eduxit exercitũ. In prælio cum hoſtes Achab vnũ regis edicto peterent, cuius ornatu (ſic enim eũ Achab rogauerat) incederet Ioſaphat: in eum, quod Achab eſſe ſuſpicarẽtur, impetu facto, acriter pugnabãt, cum ille exclamat. Cùm vox fidem feciſset, non eſſe Achab, deſtiterũt. Achab autem conſilij Domini contemptor, cum quidam ſagittã temerè emiſiſſet,

atq; inter pulmonem & ſtomachũ fixa hęſiſſet, ex eo vulnere veſperi mortuus eſt. Hoc tã penè certo malo doctus Ioſaphat, quàm periculoſum ſit, cum ijs qui Deum negant, eiuſq; conſilia ſpernunt, verſari; cùm Ochozias Achab filius qui in eius locum ſucceſſerat, penè eum rogaret, vt naues ſuæ cũ illius nauibus, quę fractę eſſent in mari, cõiungerentur, noluit. Quãquam illũ eò maximè Iehu prophetæ adduxiſſe videtur obiurgatio. Cùm enim Hieroſolyma Achab mortuo rediret, Iehu Hanani filius, qui propheta erat, ei obuiam factus, eum obiurgauit, quòd impio auxiliũ ferret, amicitiamq; contraheret cum eis qui Dominum odiſſent: ex quo ſuppliciũ meritus eſſet: ſed tamen pręclara opera & facinora in illo inuenta eſſe, quòd lucos ex Iudæ regno abſtuliſſet, præparaſſetq; cor ſuum, vt Dominum patrum ſuorum Deum quęreret. Hæc partim obiurgatio, partim illius officij virtutiſq; cõmemoratio fecit, vt boni principis diligentius melioreque animo munus ſit, officiumq; exequutus. Officium ergo principis cum in ijs, quæ & ad Deum & ad homines pertinent, conſiſtere intelligeret, neq; principem tantum

ponere

ponere debere fidei in negotijs conficiendis in eorũ diligentia, quos eis præponere solet, quantũ in præsentia & adhortatione sua: non suos, qui omnes in officio cõtinerent, aut à malis vitijsq́; reuocarent misit, sed ipse profectionem eius rei causa suscepit. Ac primùm à Bethsabee vsq; ad montẽ Ephraim ad populũ sese contulit, reuocauitq́; eos ad Dominũ patrũ suorũ deũ. Deinde in cunctis Iudæ vrbibus quæ munitę erant, iudices constituit, eosq́; monuit, vt viderent etiam atque etiam & consyderarent, quid facerent: propterea quòd non hominis in iudicando officio fungerẽtur, sed Dei, qui ipsis pro meritis tributurus esset, qualencunque sententiam pronuntiassent. Itaque timorem eius sibi ob oculos in iudicando ponerent, pręsertim cùm nec iniquus esset, nec personæ vllius rationem haberet, nec munerum cupiditate duceretur. Cùm ita foris rebus diuinis atq; humanis prouidisset: domi quoque, id est, Hierosolymis, quò ex alijs vrbibus causæ omnes si qua maior aut grauior cõtrouersia incidisset, reuocandæ erant, maiorem etiam adhibuit diligentiam. Delegit enim sacerdotes, & Leuitas principesq́; familia-

rum, qui ex Domini lege ac voluntate iudicarent, pręcepitq́; eis, vt timore Domini sibi proposito ex fide sua, & animo perfecto sic agerēt, vt in causis omnibus & quęstionibus, quæ de lege, de præceptis, de cæremonijs, de iustificationibus ad eos venirent, populũ docerent, ne Deo peccarent, neq; Deus de ipsis suppliciũ sumeret. Eos enim si se præstarent, fore dicebat, vt culpæ nulli affines essent. Magna quidem hęc laus est Iosaphat, magna gloria, cuius exemplo vtinam principes munus suũ exequantur. Sed quæ sequitur, non minor videri debet. Moabitani & Ammonitani, alijq́; pene innumerabiles, in fines eius ditionis infesto exercitu inuaserāt: quod cũ Iosaphat nũtiatum esset, ipse perterritus, nihil prius habuit, quàm Deum, vt populo suo opē ferret, rogare. Quod quò melius eueniret, faciliusq́; Deus audiret, omni populo primùm ieiuniũ indixit: deinde vniuersum populum cõprecationis causa conuocauit. Cùm vniuersi conuenissent, ipse in medio cœtu in templo ante atrium nouum stans, ita precatus est, Domine Deus patrum nostrorũ, tu es Deus in cælo, & dominaris cunctis regnis Gentium: In manu

tua est fortitudo & potẽtia, nec quisquam tibi potest resistere. Tu locum hunc eius incolis interfectis, populo tuo Israëlitico Abrahæq; amici tui posteris dedisti. In eo templum nomini tuo ædificauerũt, quòd sperarent, si gladius, si mala, si pestilentia, si fames ipsos opprimerent, & stantes in hoc ipso loco, in quo nomen tuũ appellatum & inuocatũ est, clamore magno te rogarent, vt sibi in malis & miserijs subuenires, fore vt tu eos audires atque liberares. Nũc ergo cùm Moabitani & Ammonitani ac mõtis Seir incolæ, quibus pepercisti, tũ cùm filios Israëlis ex Aegypto eduxisti, pro beneficio maleficium tribuant, conenturq́ue nos ex possessione, quam nobis tradidisti, eijcere & exterminare: misereat te populi tui. In nobis quidẽ non est potentia tanta, vt multitudini isti obsistere possimus. Quoniã autẽ quid agere debeamus, ignoramus, hęc nobis spes vna reliqua est, ad te in his tãtis malis confugere. Aderãt, vt dixi, omnes viri & mulieres cum liberis suis. In Ipso puncto temporis, quo Iosaphat finem dicendi fecerat, Iahaziel Leuita, Zachariæ Bananiæ filij filius, spiritu Domini permotus, Deum præcipere dixit, ne

timerent,neq; illam tantam hominũ multitudinem metuerent,quòd pugna nõ eorum,ſed Dei eſſet.Poſtero die in eos exercitum educerent, quòd inuenturi eos eſſent,in torrẽtis Seir cacumine: neq; enim eos dimicaturos eſſe,ſed tantummodo fiduciæ pleni ſtarent. Sic enim fore, vt Dominus ad eos,auxilium mitteret. Quæ cũ audiſſent, pronis capitibus inflexiſq; corporibus Deum omnes adorauerunt.Manè pleni bonæ ſpei ad certam victoriam profecti ſunt.Omnes autem Ioſaphat adhortatus eſt,monuitq; poti⁹, vt Domino Deo crederent,eiuſq; prophetis:ac tum deniq; in tuto eos dixit fore, eiſq; proſperè euentura eſſe omnia.Dato etiam populo conſilio,ſymphoniacos Domini ſtatuit, qui eũ exercitum antecedentes,laudarẽt his verbis, Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſeculum eius miſericordia.Rem admiratione dignisſimam cõmemorabo,ſed veram.Vt primùm illi canere cœperũt,hoſtes furorem, quem in Iudęos attulerant,in ſe ipſi cõuerterunt, ita vt primum Moabitani & Ammonitani montis Seir incolas: deinde mutuis ſe gladijs ac vulneribus ad vnum omnes interfecerint.
Itaq;

Itaq; Iudęi cùm eminus campos cadauerũ plenos vidiſſent, omnium ad detrahenda mortuorum ſpolia concurſus factus eſt. Fuit autem & ſpoliorum & ſuppellectilis omnis generis copia tãta, vt omnia triduo detrahere non potuerint. Itaq; quarto demum die in vallem, quam benedictionis, quòd ibi Deũ laudaſſent, appellarunt, conuenerũt: atq; inde Hieroſolyma, & in templum cum pſalterijs, citharis, & tubis ſunt reuerſi. Idem, quod mihi mirum videri ſolet, qui à Iehu propheta, vt paulò antè dixi, grauiter obiurgatus eſt, quòd cũ Achab amicitiam cõtraxiſſet, nec ob eam cauſam ab Ochozia Rege eius filio vltrò naues auxiliares in naufragio deferẽte accipere voluiſſet, tamen cum eodem amicitias poſteà inijt, claſſemq́; inſtruxit cum eo, quam in Tharſis mitterent. Quod cùm Deus acerbè ferret, miſit ad eum Eliezer Dodau filium, qui nuntiaret, quòd fœdus cũ Ochozia feciſſet, eius naues à Domino diſſolutas eſse, nec in Tharſis appellere potuiſſe. Tertiũ eiuſdem generis, quod poſtea ſequutum eſt, addam, quod multò etiam mirabilius videretur, niſi eius cui auxilium etiam præſens tulit, vita melior extitiſſet.

Ioram enim, mortuo Ochozia patre, decimo octauo Iosaphat anno, cùm in illius locū successisset, ac Mesa rex Moab, qui quotannis ex fœdere centum milia agnorum, totidemq́; arietum cum velleribus Regi Israëlis penderet, viuo Achab, eodem mortuo fœdus ad illud tēpus rupisset: eam iniuriam sibi propulsandam ratus, comparatis contractisq́; copijs misit legatos ad Iosaphat, petens vt sibi aduersus regē Moab, qui fœdus rupisset, opem & auxilium ferret. Iosaphat statim cùm viam qua eūdum erat, didicisset, eduxit suos. cōiunctis exercitibus cū septē diebus aquæ penuria tāta esset, vt penè omnes de exercitus, equorū́que ac iumentorū salute diffiderēt: Ioram queri cœpit ad Iosaphat de tanta calamitate, quasi Deus tres Reges (Rex em̄ Edom cū illis copias coniunxerat) cōuocasset eò consilio, vt ipsos Moabitanis deuorandos mactādosq́; traderet. Iosaphat nū illic propheta esset, quo apud Deum precatore vterentur, rogauit. Cùm Ioram Elisæum Saphat filium esse respondit, atque in eo verbum Domini insidere dixisset Iosaphat, tres reges ad eum adierunt. Is cùm rem, cuius causa venissent, intellexisset, ad Ioram

vnũ auerſa oratiõe,quid ſibi rei cũ illo eſſet,quæſiuit primùm : deinde eũ ad patris matriſq; ipſius prophetas remiſit.cũq; ille quæreret cur tres reges Deus, qui prædæ Moabitanorum futuri eſſent,conuocaſſet: reſpondit id quod ad Ioſaphat laudẽ pertinet,ſe niſi Ioſaphat cõſpectum perſonamque vereretur, nec illius rationem vllam habiturum,nec in eum oculos coniecturũ fuiſſe.Quoniam autẽ adeſſet,pſaltem,quo ſonante Deum conſuleret, adducerent. Pſalte canente,Elizęus ſpiritu Domini afflatus eſt,pręcepitq; ex Domini voluntate, vt in torrentis alueo,qui exaruiſset,foderent: ſic enim fore,vt foſsis aqua completis & ipſi biberent,& eorum familiæ ac iumenta. Nec verò Dei in illos benignitatẽ in hoc vno conſiſtere,ſed eos etiam Moabitanos eſſe ſuperaturos. Quod vtrunque poſtridie manè experti ſunt. Nam & foſsæ aquis oppletæ ſunt, Moabitani orto ſole cum aquam præter ſpem vidiſsent, quæ vi diuina cruoris ſpeciem præ ſe ferret,ex eo inter reges cruentum prælium commiſſum eſſe ſibi perſuaſerunt. Itaque cùm ad certam prædam ſe ire exiſtimarent, in trium regum exercitus inciderunt, atque

ita penè omnes interfecti deletique sunt. His gestis omnibus, Iosaphat sexagesimo anno excessit è vita. Ex Azuba vxore hos suscepit liberos, Ioram maximũ natu, qui ei in regnum successit, Azariam, Iahiel, Zachariam, Michaëlem, & Saphariam. His viuens pater magnã vim auri & argenti, pensionesq; cum vrbibus munitissimis attribuit. Sed eos constituto confirmatoq; imperio, Ioram omnes interemit.

EZECHIAE REGIS IVDAE Vita.


Itam scribo Regis Iudæ omnium secundũ Dauidem optimi, id est Ezechiæ Achaz regis, & Abisæ Zacharię filiæ filij. Vicesimoquinto ętatis anno, mortuo patre rex creatus est. Eius virtutẽ & in Deum pietatẽ atq; religionẽ singularem cùm multa alia, de quibus mox dicemus declarant, tum ꝙ excelsa deleuit, deiecit, obtriuitq; statuas, lucos excidit: serpentemq; ęneum, quẽ Moses statuerat, & cui ad illud tẽpus populus sacrum fecerat, sustulit. Sed nihil eum Deo gratiorẽ acceptioremq; fecit, quàm quòd omnibus Domini præceptis paruit. Itaq;

& Deus semper cum eo fuit,& ipse in omnibus tum locis,ad quę se cōferebat, tum reb⁹ quas suscipiebat aut gerebat,eius excelluit prudentia.Primùm quidē ad res diuinas animū adiecit.Annum quintū & vicesimum agebat,cū imperium accepit,eodemq́; non solum anno, sed etiam mense quo præesse cœpit,templum resq́; templi, quas Achaz eius pater, atq; superiores reges inquinauerant,expiauit.Eius rei causa cum sacerdotes &Leuitas conuocasset,eis primū exposuit maiorū scelera, qui quòd Deum deseruissent, neq; ea sacra in tēplo fecissēt,quæ instituisset ac sanciuisset,sed alia quæ detestaretur,in illius odiū incurrerant tantum, vt maiores interfecisset,& liberos coniugesq́; omniū captiuas abduci,vt ipsi cernebant,permisisset. Itaq; cum Deo fœdus ineundum esse censebat, quo vno remedio eius furorem & iram mitigare possent.Filiosq́;eos appellans,ne hāc rem negligerent hortabatur,quos Dominus elegisset, vt ei præsto essent, ac ministrarent,eumq́; colerēt ijs sacris quæ instituisset. Eius verbis sacerdotes ac Leuitæ incitati,eam diligentiā adhibuerunt,cū se ipsi primū expiassent, vt octauo die mēsis

primi templum omne eaq́; omnia quæ ad illud pertinent expiauerint. Quod cũ regi exposuissent, ipse prima luce conuocatis primis ciuitatis, Deo hostias ex Mosis lege in templo, tauros septem, totidemq́; arietes, agnos & hircos pro peccato, pro regno, pro tẽplo, pro Iuda immolari iussit, cũ intereà symphoniaci, tubicines, alijq́; eiusdem generis, quos Dauid rex Domini iussu constituisset, eius edicto officiũ ac munus suum exequebatur. His sacris nõ contentus, multitudinẽ monuit, vt pro facultatibus vnusquisq; victimas Deo offerret. Ingens hostiarũ numerus fuit, tauri sexaginta, arietes centũ, agni ducẽti, boues sexcenti, ouiũ tria milia. His ita gestis, vniuersum Israelis Iudæq́; populum sibi ad diem festum Paschæ in mensem secundum celebrandum, conuocandum de Hierosolymitanorum consilio censuit. Literarum autẽ hæc fuit sententia. Hortabatur omnes, vt ad Dominũ, Abrahæ, Isaac & Iacob Deum redirẽt, quòd ita demũ ipse ad eos, qui Salmanaris Asyriorũ regis manus effugissẽt, reuersurus esset: ne patrũ, fratrumq́; suorum, quos Deus propterea ꝙ ab ipso defecissent, captiuos abduci passus esset, vt cernerent,

nerent, pertinaciam animiq; obstinationẽ imitarentur, sed Deo se vltrò permitterẽt ac traderent, venirentq; ad eius templum, quod perpetua sanctitate cõsecrasset. Do mino Deo patrum suorum seruirent. Sic enim eos iram eius furoris esse mitigaturos, non solùm ne ipsi in Asyriorũ manus venirẽt, sed vt etiam patres, & matres, atq; liberi, cum coniugibus ac viris, & propinquis in patriã reducerentur. Apud multos quidem hæ literæ tantum aberat, vt aliquid ponderis habuerint, vt etiam irrisi sint ij, qui eas pertulerunt. Quidam autem Aser, Manasse, & Zabulon tribuũ, probato regis consilio, Hierosolyma venerunt. Nam Iudęi vniuersi eius pręcepto paruerunt. Die autem quartodecimo mensis secundi, qui diei festo constitutus erat, tanta omniũ & lętitia, & religione, cum Ezechias populo tauros mille, & ouiũ septẽ milia, principes vero tauros mille, decemq; milia ouium præbuissent, dies festus actus est, quanta à Salomonis temporibus ad eum diem, cele bratus non fuisset. Quantum autem vtili tatis ex hoc tam sancto claroque Ezechiæ facto consequutum sit, hinc intelligi potest, quòd omnes tribuum Iudæ, Benia-

min,Manaſse, & Ephraim excelſa araſq́ue deorum cum ſimulachris &lucis funditus ſuſtulerunt.Atq; in ijs quidem,quę ad Dei religionem pertinent,in pace eiuſmodi ſe Ezechias præſtitit.In bello autem eius virtus maxima excelluit.Anno enim quartodecimo eius imperij cùm Sennacherib rex Aſsyriorum Salmanaſar filius,in ipſius imperij fines infeſto exercitu veniēs, omnes vrbes quæ munitæ erant, cepiſset, ipſe ad illum legatos de pace miſit, qui primū ab eo peccatum eſse:deinde quicquid tributi indiceret,id æquo animo laturū ipſum diceret.Itaq; ei Sennacherib argenti trecenta,auriq́; totidem talenta indixit. Quibus perſolutis, cum Sennacherib exercitum obſidendæ vrbis cauſa tranſportare velle intelligeret, primùm de principum virorumq́; fortiſsimorum cōſilio & ſententia, capita fontium,quæ extra vrbem erāt,obſtruenda: deinde muros dirutos reficiendos,& nouos extrinſecus faciendos, turreſq́; ędificādas,omneq́; armorū genus faciendū curauit.Poſtremò ne ingenti multitudine, quam infeſtā adduceret, (cētum enim & octoginta quinq;milia habuit)terreretur, & quòd ad Deū in rebus aduerſis confugi-

confugiendum esse intelligeret, conuoca uit populū, eumq́; his verbis, v̄t bona spe bonoq́; animo esset, hortatus est. Multò plures in vrbe esse dicebat, quàm cū Sennacherib essent: cū illo enim vim esse corpoream: secum autē & cum ipsis Dominū Deum, qui auxiliū ferret, pugnaretq́; pro omnibus. Qua illius oratione cōfirmatus populus, omnē metum deposuit. Hæc cū Sennacherib, qui tum vrbem Lachis cum vniuerso exercitu obsidebat, resciuisset, misit magnū numerum, in ijs Tharthau, ac Rabsaris & Rabsacē, quorū Rabsaces Eliacim regię præfecto, Sobna scribæ, & Ioahe qui erat à cōmentarijs, qui tres iussu Ezechiæ ex vrbe ad illos egressi erant, hęc ex Sennacherib exposuit. Neminē esse, cuius virtute vel auxilio freti Hierosolymitani, maximo potentissimoq́; regi Sennacherib possent obsistere. Si enim Pharaonis regis Aegypti auxilio confiderent, hoc ipsi sibi persuaderent, Pharaonē esse ijs, qui in eo omnia ponant, bacilli fracti instar, cui inni xus homo statim cadit. Si Ezechielis orati one captati à Deo suo auxiliū expectarēt, scirent Ezechiam esse, qui illius excelsa & aras diruerit, pręceperitq́; Iudęis & Hierosolymita-

vetuerat, non respondit. Tres autem illi quos dixi, ad Ezechiã scissis vestibus hæc renuntiatum venerunt. Rex his nuntijs conturbatus, vestes discidit, cilicioq́; amictus in templum precandi causa venit, cum Eliacim præfectum prætorio, & Sobnam scribam, senes aliquot ex sacerdotibus cilicijs amictos ad Esaiam prophetam Amos prophetæ filium misisset, qui ei dicerent, Diem venisse calamitatis plenum, probrorum, & ignominiæ: appropinquasse diem partus, & tamen vires non habere eam quæ parturiret: hac parabola indignitatem rei significans. Esaias diuino numine permotus cum hæc audisset, legatos hæc Ezechiæ ex Deo renuntiare iussit, Ne verbis contumeliarum plenis, quæ Sennacherib legati in Deum protulissent, terreretur. Deum enim spiritum Sennacherib missurum esse, nuntioq́ue audito illum in patriam suam reuersurum, ubi gladio interimeretur. Hæc consolationis plena oratio, quanquam Ezechiam confirmauit, tamen Sennacherib plena maledictorum Dei & minarũ epistola, quam ad eum cùm legati re infecta redijssent, misit, illum vehementer non tam priuato publicoue

dolore,

dolore,quàm Dei causa,perculit.Itaq; perlectis literis, cùm in templum ingressus esset,easque coram Domino explicasset,his verbis eũ precatus est:Domine Deus Israël tu es Deus solus,regum terræ omnium,tu cœlum terramq́; fecisti. Vide,quęso,& audi quę in te Deum viuum maledicta iaciat. Vere Assyriorũ reges nationes deleuerũt, earumq́; & agros & diripuerunt, & deos coniecerunt in ignem. Neq; eñ erant dij, sed opera hominũ ex lapide &ligno.Nunc igitur,nos tu Domine Deus noster, à manibus eorum eripe, vt regna terræ omnia te Dominum Deum solum esse intelligãt. Enuntiauit tũ Deus Esaiæ prophetæ, quẽ paulò antè dixi, cùm Ezechiæ preces se audiuisse primùm significasset,liberationem populi sibi curę esse.Vlturum enim se esse Sennacherib in se iniurias atq; maledicta: vrbemq́; Hierosolyma seruaturũ atq; protecturum & sua & Dauidis causa. Quibus ex verbis facilè perspici licet,quantũ apud Deum rebus aduersis mortalium beati illi homines,qui aspectu Dei perfruuntur, valeant &amicitia & gratia,cùm Deus partim propter Dauidem vrbem Hierosolyma defensurũ liberaturumq́; se esse promittat,

quod

quod etiam re ipsa præstitit. Nam, vt ad propositum reuertamur, ea nocte, quæ dië illum, quo hæc ad Ezechiam perlata sunt, sequuta est, angelus Domini in Assyriorum castra veniens, centum octoginta quinque millia hominum interemit. Sennacherib autem cum cadauera mane vidisset, perterritus in regnum reuersus est. Eumq; nec ita multò pòst in vrbe Niniue Nesroch Deum suum in templo venerantem duo ipsius liberi Adramelech & Sarasar gladio interfecerũt. Sic Deus & in eos, qui de sua potentia gloriaq; detrahunt, animaduertit, & eos qui ipsius honori laudiq; seruiunt, tuetur & liberat. Aegrotauit illis fere tẽporibus Ezechias grauissimè, adiensq; ad eũ Esaias propheta, iussu Dei illum monuit, vt familiæ suæ consuleret, quod moriturus esset. Ipse ad parietem ore conuerso, cum lachrymis Deum rogauit, vt venirent ei in mentem, & vita quam toto animo conuenienter pręceptis ipsius egisset, & ea facta sua, quæ probasset. Quæ eius preces eiusmodi tam gratæ Deo fuerunt, vt Esaiam cùm etiam tum mediam atrij partem nondum præterijsset, ad eum remiserit, nuntiatum, se eius preces au-

etiam fore, vt filij, quos ex vxore suſceptu rus eſſet, cōprehenderentur, eſſentq́; Spadones in Regis Babylonis regia. Ad hęc tā tum reſpondit, verbum Dei bonum honeſtumq́; eſse: tantùm vitæ ſuæ tempore pax eſſet ac veritas. Annó autem imperij ſui nono & vigeſimo, ætatiſq́; quarto & quinquageſimo, cùm Manaſsem regni hæredē reliquiſſet, exceſsit è vita.

MANASSAE REGIS IVDAE Vita.


Anaſſæ Regis Iudæ vita, quæ eiuſmodi fuit, vt cū ille ad extremum pene tempus in omnibus flagitijs ſceleribuſq́ue verſatus eſſet, tandem aliquando, id eſt, non nimis ſero: in viam Dei pœnitētia redierit, magno erit adiumēto hominibus quanuis ſceleſtis, ad vitæ mutationem, ne ſuperioris vitæ recordatione in deſperationem veniant adipiſcendæ veniæ & gratiæ. Is quidem amiſſo Ezechia patre, viua matre Haphſida, cùm duodecimum annum ageret, rerum potitus eſt. Cùm autem iure naturæ tam bonum clarumq́; patrem ſibi ad imitandum proponere debuiſſet; tamen tantum abeſt, vt id fecerit, vt inimicitias

cum illo in vita instituenda, & degēda suscepisse gessisseq́; videatur. Vt enim ille simulachra omnia, sicut in vita eius dixim⁹, deiecit ac fregit, lucos dijs cōsecratos succidit, aras sustulit, omnibusq́; ijs, quę Deus detestatur, & quibus templum Hierosolymis Achaz rex eius auus violauerat, funditùs euersis & abiectis, ipsum expiauit: Deique vnius religionem & cultum, nō in suo tantùm imperio, sed etiam in magna parte regni Israëlitici, quasi postliminio restituit. Sic Manasses illa reuocauit his sublatis repudiatisq́; omnibus. Nam & excelsa, quæ Ezechias eius pater dissipauerat, ædificauit, & aram Baal, dijsque simulachra ac statuas statuit: & lucos eis consecrauit, omnemq́; cæli militiā coluit ac veneratus est. Neq; hęc solùm extra tēplum illud, quod Deus sibi vni sanctum esse voluisset, fecit, sed in eius etiā atrijs duobus aras vniuersę militiæ cæli posuit. Quin etiam Amon filium suum per ignem traduxit, obseruauit auguria & somnia, aruspices auxit, diuinos & ariolos consuluit, habuitq́; secum. Neq; hanc tam & Deo inuisam, & hominibus perniciosam exitiosamq́; religionem ad vnū se aut ad paucos pertinere voluit,

ſed Hieroſolymitanos,atq; adeò Iudæos, qui erant in ipſius imperio, ſiue exemplo ſuo(quo grauius peccant,quã ſcelere principes, propterea quòd mores noſtri ad ea ferè natura delabi ſolent,quę illis probari videmus)ſiue ui &minis decepit. Deus porrò etſi tam à ſe remotum & alienatum, tamen omni ratione eum abſtrahere, reuocareq́; conatus eſt: primùm verbis ac minis, deinde re atq; ſupplicio & calamitate, Miſit enim ad eum & ad populum prophetas, qui eos ab illa impia & nefaria religione,ad piam ſanctamq́; reuocarēt. Cum autem eorum monita contemnerent, fecit, vt exercitus regis Aſſyriorum principes captum vinctumq́;catenis ac pedicis Manaſſen Babylonem ducerent. Ibi tandem aliquando,qui amicis Dei cõſilijs parere noluiſſet, malo calamitateq́; coactus, malè ſe vixiſse impieq́; multa in eum feciſse recognouit. Tam altè interdum radices peccatum & vitiũ in hominibus,ſiue mala educatione,ſiue praua cõſuetudine,& ipſa peccandi libidine agit,vt multi nunquã,nonnulli vix tandem aliquandó, niſi malo docti in rectam viuendi viam redeant. Nec quicquam eſt, quod vtroſque, aut in tam

prauo exitiosoq; vitę instituto permanere cogat, quàm perpetuus quidam rerum ad voluntatem voluptatemque pertinétium concursus: aut ab eo tam facilè eosdem abducere posit, quàm interuentus curarũ, aduersarum rerum, calamitatis. Itaq; & illum nunquam, & hunc sæpe optare debemus. Captiuitatis ergo incómoda & mala sentiens Manasses, ex animo eiecta illa religione, rediјt ad Deũ, aut Deus potius eum ita respexit, vt totus mutatus non videretur, sed etiã esset. Eũ enim tũ, etsi sera illa quidẽ, ob mala quæ sentiret, nõ tamen infructuosa & inutilis subiјt pœnitentia. Extat autẽ eius precatio in diuinis libris, extremo libro eo, qui Paralipomena, id est, prætermissa, inscribitur: cuiꝰ breuiter sententiã omnem nõ alienũ erit perstringere. Deum, dominũ prępotentem rerũ omniũ, patrum suorum Abrahæ, Isaac & Iacob, eorumq; seminis iusti Deũ appellat, qui cœlum ac terram cum omni ornatu eorũ fecerit, qui mare præcepti sui verbo cóstrinxerit, qui abyssum concluserit, terribiliq; ac laudabili nomine suo consignauerit, quem omnia timeant, ac tremant in eius conspectu, quòd eius gloriæ magnitudo ferri

ferri non poſsit, nec ira eius qua minatur peccatoribus,& tamen immenſa ſit,nec inueſtigari poſsit eius promiſsionis miſericordia: cum enim eſſe Dominum, altiſsimum,benignum,patientem,magnaq́; miſericordia vti in hominum malis. Eũ pro magna benignitate ſua promiſiſſe ijs,qui ipſi peccauerint,& pœnitẽtiam & veniam, ac pro magnitudine miſericordiæ ſuæ peccatoribus pœnitentiam ſalutarem decreuiſſe. Se igitur ab eo precari, qui cũ ſit Dominus Deus bonorũ,non decreuerit Abrahæ,Iſaac & Iacob viris bonis ac iuſtis, qui ei non peccauerint,pœnitentiã, ſed eã peccatorum cauſa ſtatuerit, ſibi cuius peccata arenæ maris numerũ ſuperarẽt, cuiꝰ ſcelera adeò creuiſsẽt,vt propter eorũ multitudinẽ indignꝰ eſset,qui cœli faſtigiũ intueretur & aſpiceret: qui ferreorũ vinculorũ pondere tã oppreſsus ſit,vt caput non poſſit attollere, neque reſpirare, propterea quòd eius iracundiã cõcitauerit,& ſcelera in eius conſpectu admiſerit:qui nõ volũtati ipſius morẽ geſſerit,nec paruerit præceptis, ſed ea quæ deteſtaretẽ ſtatuerit,ob eáq; cauſam tum genu animi cordiſq; ſui flecteret:ſibi inquã, ꝗ peccaſſet,ſceleraq́; agno-
 ſceret,

ſceret, veniam daret, non ſimul peccatis ſuis ſe perderet, neq; in perpetuum iratus ſibi malà reſeruaret, nec ſe ad intima terrę loca damnaret, quoniam Deus eſſet, Deus ſcilicet eorum, quorum actæ vitæ pœniteret. Quòd ſi in ipſum benignitatem ſuam declararet, ac pro magna miſericordia ſua eundem eriperet ex illis vinculis & liberaret, ſe eum per omne vitæ tempus ornaturum eſſe laudibus, cum eum omnes cæleſtes naturę laudent, eiq́; gloria ſempiterna tribuatur. Eum ita precantem audiuit Deus, reduxitq́; Hieroſolyma regno recepto ac reddito. Quò ſimul atq; peruenit, nihil prius habuit, quàm ea omnia, quibus templum Dei inquinauerat, Deiq́; voluntatem eius religione ſpręta, offenderat, euertere atq; proijcere: populumq́; ſuum edictis reuocare ad veram Dei religionem. Ita mutata Dei benignitatę vita, reliquum vitæ tempus, ſicuti pollicitus erat, in Dei laudibus conſumpſit. Quinquaginta quinq; annis cum tenuiſſet imperium, ſeptimo & ſexageſimo ætatis anno relicto Amon filio regni hærede, exceſſit è vita.

IOSIAE

IOSIAE IVDAE REGIS Vita.



Osias Amon patre, Idida matre natus, omniũ Iudæ regum optimus & religiosissimus fuit. Octo tantum annos natus erat, cum amisit patrem. Cùm primùm adoleuisset, id est sextumdecimum agens annũ, Deum cœpit quærere: quadriennio pòst omnem animũ adiecit ad ea tollenda omnia, quæ Manasses auus morte impeditus non sustulisset, aut Amon pater restituisset, quæ religioni Dei contraria videbat. Nec intra fines imperij sui tantũ hoc fecit, sed etiam in cuncta Samaria. Deditq́; operam, vt animum populi sui cùm in omni officij genere, tum in Dei religione contineret. Octauodecimo imperij anno, id est, ætatis sexto & vicesimo, his iam perfectis omnibus, templi partes quæ infirmæ erãt, periculũq́; erat, ne collaberentur, reficiendas curauit. Quòd cum procuraretur, Helchias pontifex librum qui Deuteronomiũ inscriptus est, inuenit. Eum cùm Iosias recitari iussisset, eaq́ue verba legis audiret, quę Dei religiõis cõtẽptoribus mala, calamitatesq́; promittũt: ipse lacerata, discissa

prę dolore ac gemitu veste, quod patres ac maiores præceptis Dei non paruissent, ob eáque causam tum ira diuina ex eorum liberis pœnas expeteret, misit qui Holdā prophetidem de voluntate Dei consulerent. Holda diuino numine permota, respōdit, Deū quòd ab ipso populus defecisset, eóque deserto deos alios cōsuluisset, ea mala omnia, quæ in libro illo continerentur, in locum illum eiusq; incolas redundatura. Quod autem ad Iosiam regem attineret, qui verba libri audiuisset, atq; discissa veste fleuisset, ipsumq; veritus esset, non visurum esse mala illa. Quæ cùm regi renuntiata essent, ipse qui factum illud suū Deo probari intelligeret, cōuocatis in Dei templum vniuersis, totius libri legē recitauit, stansq; in tribunali, fœdus fecit sanctéq; promisit, se Dei præceptis omnibus esse obtemperaturum, neq; discessurum ab ijs omnibus, quæ in libro scripta essent. Nec ille vnus hoc fecit, sed eos etiam qui aderant, omnes iureiurando adegit, eadem se esse facturos. Eodem anno diem festū Paschæ tanta hominū & frequētia & religione celebrandum curauit, quartodecimo mēsis primi die, cùm sacerdotes ac leuitas

longa oratiõe ad ea, quæ ex Mosis atq; Salomonis instituto præstare deberét, hortatus esset, ac de suo triginta agnorum & hœdorũ reliquiq; pecoris millia, atq; boum tria millia præbuisset, quãta ad eum diem nullius memoria fuisset. Triginta vnũ annos cum tenuisset imperium, hoc modo interfectus est. Pharao Nechao rex Aegypti infestum exercitum, quem magnum comparauerat, in regem Assyriorum eduxerat ex Dei voluntate. Iosias qui hoc ignoraret, ei obuiam cum exercitu suo prodijt, siue vt regi Assyriorũ auxiliũ ferret, siue quòd vteretur, nc in se imperiumq; suũ infestus veniret. Cùm Pharao eum venisse comperisset, misit qui eum monerent, vt abiret, ꝙ non cũ illo, sed cum Assyrio Dei iussu pugnaturus esset. Iosias qui eius verbis non haberet fidem, cũ perseueraret in proposito, sagitta vulneratus est, ex quo vulnere paulò pòst interijt.

TOBIAE PATRIS ET FILII Vita.


Rdinem conseruans eorũ, qui à Dauide orti, Iudæ regia potestate præfuerunt, ne quid perturbatè dicerem, nonnullorum

rum vitam intermisi, qui ordine temporis priores sunt: qualis est Tobias, qui vnus omnibus exemplo ad vitam priuatam cũ vxore & liberis ex virtute degendam esse & potest & debet. Is ex tribu & ciuitate Nephthalim, quæ in superiore Galilęa sita est, cum cæteris Israëlitis captus, captiuitate ea, quæ Salmanasar rege Asyriorum, sexto Ezechiæ regis Iudę anno, Osee autẽ regis Israëlis nono accidit, in Syriam ductus est. Puer cùm etiam tum esset, nihil tamen puerile gesit. Ieroboam iam tũ, & in omni vita scelus detestatus est. Cùm enim ille Dei prouidentia decem tribuum, Roboam Salomonis regis filio rege, creatus rex esset, veritusq́; ne si populus Hierosolyma in templũ Dei colẽdi causa, eiusdem instituto, conueniret, ab se ad Roboã deficeret: vitulos duos aureos cõflandos curauerat, quorũ alterũ in Bethel, alterum in Dan collocauit. Eò cum omnes statis diebus siue metu coacti, siue procliuitate peccandi, conuenirent: Tobias quẽ tum ętate antecedebant, consuetudine illorũ declinata, Hierosolyma in templum veniebat, omniaq́; quæ lege sancita ęrant, Dęo offerebat. Corroborata ętate, Annam vxorem

tribus

tribus suæ accepit, ex qua filiū cùm susce-
pisset ei nomen suū imposuit. Dicam quo
modo primum in Deum, deinde in filium
atq; familiam, tum in propinquos, postre-
mò in tribules se gesserit. Quo in Samaria
& Galilæa ante captiuitatem metu, studio
& amore in Deum fuerat, eundem etiā re-
tinuit in captiuitate. Cū enim in vrbe Ni-
niue habitaret, omnesq́; sacris se escis con
taminarent, ipse qui veram Dei religionē
approbasset, ab eis se abstinuit. Filium ab
ineunte ætate Deum timere ac vereri do-
cuit, & ab omni vitio abhorrere. Quæ fue
rit illa eius institutio, ex eis bene viuendi
pręceptis, quę filio tradidit, tum cùm audi
tas preces suas de mortis aduentu existi-
mans, eum ad se accersiuit, intelligere pos
sumus. Monuit enim eum, vt per omne vi
tę tēpus Deum memoria coleret sempiter
na, daretq́; operam, ne vnquā culpæ illius
consensu affinis esset, Deiq́; præcepta præ
termitteret. Matri in omni vita honorem
haberet, præsertim cū meminisse eū opor
teret, quæ & quanta ipsius causa in aluo cū
esset, pertulisset. De suo daret egētibus, ne
que os suum à paupere auerteret: quòd ita
fieret, vt nec Deus ab ipso auerteretur. Da
ret

ret autem egentibus pro facultatibus: si multas opes haberet, multa: si parua & exigua res esset domi, exigua ex animo largiretur ac libenter. Sic enim eũ præmiũ bonum ac præclarũ sibi in diem necessitatis reseruaturũ esse: quòd eleemosyna ab omni peccato & à morte liberet, neq; passura sit animã ad tenebras peruenire: homines que qui ipsum colant, fiduciæ magnæ plenos Deo oblatura sit. Sibi ab omni stupro caueret, neq; præter vxorem suam cũ aliena concumberet. Arrogantiam neq; in animo, neq; in verbo ac sermone dominari sineret, quippe cum ab ea initiũ sumpsisset omnis interitus. Mercedem eius qui ipsi operas suas locasset, non retineret omnino. Quod sibi ab alio fieri nollet, id alij nũquam faceret. Ederet panem & alia ad victũ necessaria, cum esurientibus & egentibus: vestibusq; suis nudos tegeret: consiliũ semper à sapiente peteret. Deũ semper laudaret, rogaretq; eundem, vt vias suas dirigeret, atq; in eo ipsius consilia manerent. Eadem penè eidem in morte, in præceptis reliquit. Atq; in filium fuit eiusmodi. In propinquos autẽ quẽ se pręstiterit, ex vno facto licebit existimare. In vrbe Medorũ, cui no-

tui nomen Rages fuit, Gabelo propinquo in duris rebus decem talenta argenti chirographo accepto, dederat, cum tamẽ vix mediocres opes nactus esset. Hoc cùm moriens sua opinione, filio indicasset, tradito chirographo filius id se libẽter factu rum esse dixit, si quis esset, quo duce in via vteretur. Pater pręceperat vt certum fidelemq; virum quæreret itineris ducẽ aut comitẽ, cui merces dissolueretur: cùm egressus Tobias fili⁹, eius rei causa, Raphaelem angelum, adolescentis iter conficerę instituentis habitu & figura inuenit, qui ei viã, quæ eò ferret, scire se dixit. Redit hoc patri nuntiatum: pater adolescentẽ intromitti iubet: introductus genus suũ exponit, se illi saluum & incolumen ducturum & reducturũ pollicetur. Paratis omnibus ad viã necessarijs proficiscuntur, cùm Tobias pater ei omnia in itinere Dei benignitate prosperè euenire, eiusq; angelum itineris comitẽ dari optasset, Simul atq; profecti sunt, Anna mater Tobię, siue filij iam desyderio teneretur, siue quòd vereretur, ne quid ei mali in via accideret, cũ lachrymis apud virum conqueri cœpit: quòd bacillum senectutis vtriusque abstulisset:
vtinam

vtinam pecunia illa nunquam fuiſſet, quâ facilius caruiſsent, quàm filio, cuius aſpe-ctû tanti facerent, vt interim tenuis victus communis in diuitijs numeraretur. Eam vir Tobias conſolari cœpit, certa ſpe reditus quem polliceretur. Illi cùm in viam ſe dediſsent, de Raphaëlis cõſilio ad Raguelem Tobiæ propinquum diuerterunt. Tobia relicto, ipſe accepto chirographo cum quatuor Raguelis ſeruis cameliſq; duobus in vrbem Rages profectus eſt. Accepta pecunia, quæ illum eò attulerat, Gabelum ad Tobiam in Raguelis domum, in qua eum eſſe dixerat, ſumma voluntate duxit. Eum cùm vidit, cũ lachrymis oſculatus eſt, multiſq; verbis patris eius virtutem eleemoſinaſq; laudauit. Solenne matrimonij, quod ibi Tobias cùm Sarra Raguelis filia cõtraxit, de quo paulò pòſt dicam, reditum eos differre coegit. Itaq; parentum quos filij vnici atq; eiuſmodi deſideriũ teneret, dolor non ſolùm renouari, ſed augeri etiam cœpit. Anna mater, miſerat ſe ac virum dicere, quod eum qui ſenectutis ipſorum bacillum eſſet, ſolatium vitæ, ſpes poſteritatis, miſiſsent, neq; debuiſſent, cum in eo ipſi omnia ponerent. Eam vir tacere iubebat,

bat, quòd saluus & incolumis rediturus esset: quam in spem se adduci dicebat fide eius viri, qui se ei comitē itineris præbuisset. At illa cùm nulla ex parte filij desiderium ferre posset, quotidie circumspiciebat & circuncursabit ijs vijs omnibus, quibus redeundi spes videbatur, vt procul, si fieri posset, venientem videret. In eo officio cùm esset, tādem aliquando ex montis cacumine illo viso atq; cognito, reditum eius viro nuntiauit: quod etiam canis quē ille duxerat, præcurrens confirmauit. Pater etsi tum vt mox dicam, cæcus erat, tamen sibi imperare non potuit, quin puero manu data, obuiam filio curreret. Eum cùm amplexatus esset, obortis vtriq; præ gaudio lachrymis, osculatus est: actisque Deo gratijs, consederunt. Restat vt de eius in tribules humanitate ac misericordia disseram. Cùm in Deum ita animatus esset, vt dixi, illius benignitate à Salmanasar rege tātam gratiam inijt, vt per eum ipsi quocunq; vellet proficisci, & quicquid vellet, facere liceret. Hac potestate non ad quæstum, aut flagitia abusus est, sed eam ad tribulium salutem conferebat. Itaq; eis monita & consilia salutis dabat. Mortuo

Salmanasar, cũ Sennacherib eius filius imperio accepto, filios Israëlis inuisos haberet: ipse ad cognatos & tribules omnes adiens eos consolabatur, eisq; pro facultatibus suis subueniebat, esurietes alebat, nudis vestes dabat, mortuos atq; eos qui interfecti erant, sepeliebat. Deniq; cùm Sennacherib accepta clade ob sua in deũ maledicta, de qua in vita Ezechiæ diximus, fuga in regnũ salute quæsita, iracũdia aut furore potius incitatus multos filios Israëlis interficeret, hic eorum corpora mandabat sepulturæ. Quod eius tã sanctũ factũ adeò ille acerbè tulit, vt ob eã causam eũ interficere vellet. Tobias autem quoniã virtutis suæ causa & nomine multis charus erat, facilè illius furorem delitescẽdo declinauit. Quanta hæc illius uirtus fuisse existimari debet, quàm odio etiã regis proposito, coluit? Sennacherib qui viuus tantæ virtutis officium morte sola retardare potuisset, mortu⁹ interfectusq; quadragesimoquinto die pòst à pueris, pristinũ ei restituit. Itaque cùm prandium die festo Domini dare volens tribulibus ac propinquis suis, misisset filium, qui illos inuitaret, atq; ille reuersus mortuũ in via iacere nũtiasset: ipse

 surgens

surgens à mensa ieiunus, clàm domú suam cadauer portauit, cùm sol occidisset sepeliret. Cùm illud domi occultasset, tum deniq; cú lachrymis comedit. Vicini ac propinqui eum accusabant, & obiurgabant, quòd id etiam perficeret, cuius causa iam interfici iussus esset, vixq; morté effugisset: at ipse metum Dei & officium eorú obiurgatióibus anteponebat. Quam verò & studiose & cerebrò, & diu officiú illud sequeretur, hinc perspici licet, quòd aliquádo ita defessus fuit hoc munere sepeliédi, vt domum rediens, ad parietem se iactans obdormisceret. Quo quidem tempore eius singularis eximiæq; patientiæ posteris documentú Deus dare voluit. Ná cú pôst tam egregia sanctaq; facinora in dormientis oculos calidis stercoribus ex nidò hirúdinis decidentibus, cęcus effectus esset, nó tamé aut in deú murmurauit, aut vicinorú atq; propinquorú, vbi spes eius esset eleemosynarú atq; sepulturarú quærentium, contumelijs & irrisionibus à metu Dei abduci potuit: sed & hunc retinuit, gratias ei agens, & illos monuit, ne ita loquerentur, propterea quòd sanctorum filij essent omnes, vitamque hanc esse solam

non putarent, sed eam expectarent, quam Deus ijs daturus esset, qui nunquam à sua in ipsum fide alienari abduciq; potuisset. Qua sua oratione declarauit, bonos non huius vitæ, sed futuræ præsidiorum commodorumq; spe adductos, virtuté colere oportere. Nec vero exteros solos habuit officiorum suorum superiorum ob cæcitatis incommodum irrisores, sed etiam domesticos. Anna enim ei⁹ vxor cũ textrino opere quotidie ea, quæ ad victum communiem pertinebant, pararet, & aliquãdo hœdum præter mercedem acceptum domum intulisset, atq; ipse eius balantis voce exaudita, veritus, ne furtiuus esset, reddi si ita esset [illegible] nõ iussisset, quòd ipsis ex furto quicq[illegible] edere non liceret, aut contingére: illa irata ei respõdit, perspicuè cõstare; inanes spes ipsius esse, eleemosynasq; eiusdem iã perspici ac videri, alijsq; verbis virtutis officia, vt probra ei obijciebat. Ipse qui grauiùs & acerbius hęc mulieris, quàm exterorum probra contumeliasq; ferret, cæcitatemq; sibi meritò pro suis & maiorũ peccatis à Deo datam recordaretur: his auditis ingemuit, cœpitq; Deum cum lachrymis precari. Deũ iustũ esse dicebat, eiusq;

iusta iudicia omnia, & vias eius misericordiam ac veritatem: rogabatq; eum, vt sui meminisset, neq; vltionem suppliciumq; de peccatis suis sumeret, neque scelera sua aut parentum recordaretur. Hoc pręterea addebat, quòd ipse & maiores populi Israëlitici præceptis eius non paruissent, idcirco omnes direptione bonorum, captiuitate corporum, probrisq; omnium nationũ & morte mulctari. Sed tamen petere se ab eo, cuius magna iudicia essent, quòd pręceptis ipsius non obediuissent, vt in se pro voluntate ipsius se gereret, iuberetq; spiritum suum in pace recipi, quòd mori mallet, quàm ita viuere. Auditas suas preces à DEO putabat. Itaq; tum filio ea bene viuendi pręcepta, quæ paulò antè cõmemoraui, tradidit. Sed DEUS aliter atque sperabat, preces eius audiuit. Nam & aspectũ ei pristinum restituit, & filio vxorem optimam & lectissimam dedit: quibus duobus non solum dolor aspectus, quẽ amiserat depulsus est, sed gaudiũ etiam maximum pro dolore ac mœrore successit. Hæc duo cõiunctè, quoniam cohærent, exponam. Ac primùm de cæcitatis curatione dicã. Raphaele DEI angelo, vt paulo antè dixi, comite,

ac duce itineris ob argentum à Gabelo accipiendum, Tobias filius vsus est. In via cùm ad Tigrim fluuium primum diuersorium accepissent, Tobiasq; in eo pedes ablueret, piscis ingens ad eum accessit, quẽ cùm primum animaduertisset, timore perterritus clamare cœperat, Raphaeliq; dicere se ab eo inuadi: cùm Raphael illum, vt eum manu per branchiam arreptum ad terram extraheret, monuit: extractum exossaret, atq; eius cor, fel & iecur sibi ad medicinam reseruaret. Cùm Tobias eũ rogaret, vt quibus morbis illa mederẽtur, indicaret: tum quidẽ respondit vniuersè, si fel oculis ex albugine laborãtibus adhiberet, fore, vt curarẽtur. Cùm autẽ accepto argẽto cui⁹ causa profecti erant, reuerterentur, de patris cæcitate nominatim & apertè loquutus est, eumq; monuit, vt cùm illũ veneratus & osculat⁹ esset, felle illo eius oculos liniret: Sic enim fore, vt & statim aperirentur oculi, & pater illius aspectu gauderet. Quod quidẽ res ipsa declarauit. Perfusis enim vnctisq; felle patris oculis, cum dimidiatæ ferè horæ interuallo adhæsisset, ex eius oculis albugo mẽbranæ oui instar egredi cœpit, quam arreptã filius extraxit,

aq; ita demũ patri aſpectus priſtinus reſti-
tutus eſt. Hinc pater ipſe, vxor, Tobias fi-
lius, omneſq; quibus notus erat, Deo glo-
riam laudemq; tribuerunt: pater autẽ præ-
terea ei, quòd ipſum & caſtigaſſet, & curaſ-
ſet, maximas egit gratias. Atq; hæc de cæ-
citatis curatione. Roganti ergo Tobię Ra
phaelem, id quod iam cœperã dicere, vt in
dicaret vim earum piſcis particularũ, quas
medicinæ cauſa eius admonitu reſeruaret,
ipſe dixerat, ſi cordis particulam in prunis
poneret, fumũ eius eam vim habere, vt om
ne genus dæmoniorũ ſiue ex viro, ſiue ex
muliere ita expelleret, vt nũquã eis poſtea
aditᵃ pateret. Cùm autẽ in via ex eodẽ, vbi
ea nocte diuerſaretur, quęreret, idẽ reſpõ-
dit eſſe ibi Raguelem eius propinquum &
tribulem, cui filia eſſet Sarra nomin-, nul
liq; alij liberi: hanc ipſum coniugem acci-
pere oportere, quã ſi peteret, facilè à patre
eius impetraret. Afferebat Tobias, ſe audi
tione accepiſſe eã nuptui traditã eſſe ſeptẽ
viris, qui eſſent mortui, eoſq;, vt ipſe audi-
uiſſet, à dęmonio interfectos fuiſſe: qua re
tam triſti & acerba ab illius coniugio deter
reretur. Cùm Raphael id cur id eueniſſet,
quæq; ſancta, & infauſta cõiugia eſſent, ita

ret,& comprecarētur Deum tribus primis noctibus, quibus exactis in suo coniugio viuerēt, quòd cùm filij sanctorum essent, non possēt coniungi more rituq; Gentiū, quæ Deum ignorarent. Illa consiliū quòd vir dabat, sequuta surgit: surgit Tobias, vterq; Deum comprecatur: Tobias quidem hoc modo, Domine Deus patrum nostrorum, laudent te cœli & terræ, mareq́; ac fontes,& flumina,eaq; omnia quæ effecisti,& illis cōtinētur. Tu Adam ex humo terræ finxisti,eiq; Euam auxilij causa dedisti. Scis, Domine, non libidinis causa me propinquam meam coniugē accipere, sed sola spe ductum causaq́; posteritatis procreandæ, qua nomen tuum in perpetuum laudetur. Sarra autem hęc verba orans pronuntiabat, Miserere nostri, Domine, miserere nostri, vt pariter valentes consenescamus. Raguel qui idē Tobiæ accidisse putaret, quod superiorib⁹ generis suis septem accidisset, ea noctis hora qua galli manè canere solent, accersitos seruos suos secū fodiendi sepulchri causa duxerat. Itaq; cùm redijsset, Annam vxorem monuit, vt ancillarum vnam mitteret, quæ sciret nū esset mortuus, vt si esset, ante lucē sepeliretur.

Cùm ancilla rediens eos saluos & incolumes in lecto dormire nuntiasset: tũ vterq; Deum laudare cœpit, gratiasq; agere, quòd non ita vt putassent, contigisset, bonisq; se affecisset, excluso inimico & aduersario: eumq; rogarũt vt duobus, quos solos seruasset, eam mentem daret, vt illi eum laudarent in omni vita sua, quò faciliùs Gentes omnes eum Deum solum in terra esse cognoscerent. Hinc fossa compleri iussa est: conuiuium lautum, vt illis temporibus & locis, apparatum. Raguel autẽ Tobiam semissis possessorem quãdiu viueret, esse voluit: cum mortuus esset, assis hæredem instituit. Coẽgit idẽ Tobiã manere apud se quindecim dies, cùm impetrare ab eo minimè potuisset, vt domiciliũ rerum suarum illic collocaret, etiam si id se Tobiæ patri quamprimùm significaturum esse spopondisset. Iis transactis, cùm Raguel dimidiam partem opum atq; facultatum cuiusuis generis tradidisset, filiamq; osculatus, eis bene precatus esset, ipse cum Raphaele angelo, qui se Azariã nominauerat, & familia in patriam se recepit. Sarra autẽ & familia omnis septimo tãtùm die, quàm ipse venisset, quoniam ei parentum causa

Raphael

Raphael properādum censuiſſet, domum peruenit. Filius quidem aduentu ſuo maximum & parentibus & amicis & propinquis gaudium attulit: ſed vxor, & reliqua familia cum opibus tantū addidit ad ſuperius, vt ſeptem dies conſumpti ſint in epulis ac cōuiuijs, lætitiæ indicibus. His ita geſtis omnibus, Tobias pater filium ad ſe accerſit: ex eo quærit, quam ſatis dignam mercedem Azariæ (ſic enim ſe appellari Raphael dixerat) dare poſsent. Filius cōmemoratis illius in ſe ac patrem officijs & beneficijs, comitatu itineris, qui ſaluti fuiſſet, ſui à piſce & dęmonio liberatione, vxoris eiuſmodi adeptione, patris aſpectus reſtitutione, tot tantorumq; bonorum procuratione: nulla quidem re ſe atq; ipſum gratiam referre poſse reſpondit, ſed tamē petere ſe maiorem in modum, vt illū rogaret, vel dimidiam partem eorum omnium quæ attuliſset, acciperet. Quod cùm placuiſset patri, accerſitur, ei dimidia pars cōſtituta defertur: tum deniq; Raphael quis eſset, & cur miſsus eſſet, quidq; eos facere oporteret, expoſuit. Primùm eos monuit, vt Deum cœli laudarent, eique in conſpectu omnium mortalium gloriam tribuerent,

rent, gratiasq; agerent, qui eos bonis affecisset. Deinde orationẽ & ieiunium magna preclaraq; bona esse dixit; satiusq; esse eleemosynam, id est, ea quę egentibus dantur, quàm thesauros recondere: propterea ꝙ eleemosyna à morte liberet, purgetq; peccata, & misericordiam vitamq; æternam pariat, qui autem peccent, eos esse animæ suę hostes. Tum se Raphaelem angelum vnũ esse dixit septem eorum, qui domino præstò sint. Se cùm Tobias pater oraret cũ lachrymis, sepeliret mortuos, relicto prãdio mortuos occultaret, noctu sepeliret, deo eius preces obtulisse. Quodq; deo gratus acceptusq; esset, eum necesse fuisse aduersis rebus probari. Se missũ esse à domino illius curandi causa, & Sarræ filij eius vxoris à dæmonio liberandæ. Cùm perterriti proni in terram cecidissent, pace data, eos bono animo, depulso metu, esse iussit, dixitq; se quãdiu cum ipsis fuisset, iussu dei, cui gratias agerent, fuisse; visum esse comedere ac bibere, sed cibo & potu qui videri non potest, vti. Tempus esse, vt iam ipse reuerteretur ad eum quo missus esset: ipsi autem Deum laudibus afficerẽt, mirabiliaq; eius opera & facta nuntiarent. Cùm perorasset,

rafset,ipſe aſpectui eorũ ademptus eſt: illi in terram proni cadentes, proſtratiq́; tres horas, Deum laudarunt, eiq́; egerunt gratias: ſurgentes eius mirabilia opera narrarunt. Priuatim etiam Tobias pater Deum multis verbis laudauit ipſe & ad eum laudandum filios Iſraelis hortatus eſt, quòd ſit rerum omnium prępotens, quòd eos & propter ſcelera ſua diſperſit, & pro miſericordia ſua eſſet liberaturus. Aſpectum autem, quem annum agens ſextum & quinquageſimũ amiſerat, ſexageſimo recepit: vixit poſteà in gaudio quadraginta duos annos, progreſsum faciens in Dei metu, qui comes eſt virtutum omnium: viditq́; nepotum ſuorum filios. Anno centeſimo ſecũdo, qui poſtremus eius vitæ fuit, mortem appropinquantem ſentiens, filium ac nepotes accerſiuit, eiſq́; & vrbis Niniue interitum, & Hieroſolymorum refectionẽ, ac reſtitutionem aduentare prædixit primum, Gentiumq́; ad Dei religionẽ conuerſionem: deinde pręcepta bene viuendi eadem penè quæ paulò antè expoſui, dedit. Poſtremò eos monuit, vt cùm primùm matrem ſuam in eodẽ ſepulchro, quo ipſum, ſepeliſsent, illinc abirẽt, id eſt, ex vrbe Ni-

niue, quòd paulò pòst futura esset ei⁹ euer
sio. Itaq; cum matri iusta persoluisset, cũ
vxore, filijs ac nepotib⁹ se ad soceros suos
recepit: completisq; nonaginta nouem an
nis, excessit è vita.

ZOROBABEL DVCIS IVDAE Vita.



Orobabel Salathiel filius. Hic mutata in captiuitate Babylonica regni Iudæorũ forma, dux Iudæ, vt ait Aggæus propheta, fuit post Salathiel patrẽ secundus, Christique speciem gessit. Cum Cyrus Persarum rex diuino spiritu permotus primo regni sui anno, qui extremus fuit septuaginta captiuitatis Babylonicæ, (tot enim annos captiuos fore Iudæos Hieremias propheta prædixerat) captiuis excitandi reficiendique templi Hierosolymitani fecisset potestatem, cum multi alij eò se cõtulerunt, tum Zorobabel, cuius vitam scribimus, summa voluntate profectus est. Ac primũ quidem septimo mense, cum omnes Iudæi ex locis suis, in quæ remigrauerant, cõuenissent, aram Deo, in qua ei ex lege Mosis sacra facerent, posuerunt. Secundo autem an-

tem anno reditus siue liberationis mense secundo, Zorobabel adhibitis sacerdotibus & Leuitis, templũ reficere cœpit. Fundamenta iam aliqua ex parte iacta erant, cùm Iudæorũ hostes re cognita, ad eos venerunt rogatũ, vt sibi qui Deo immolarent, liceret in partem venire impensarum, quę ad reficiendum templum essent necessariæ. Cùm Zorobabel de omniũ sententia ostendisset edictũ Cyri Iudęos solos comprehẽdete: tum se illi repulsos esse acerbè ferentes, eorũm opera, qui apud Cyrũ regem multũ gratia valebant, facilè vt opus quandiu vixit impediretur, impetrarunt. Ita opus intermissum est vsq; ad Darij Histaspis filij tempora: cuius anno secundo Zorobabel, cùm trium eius stipatorum custodumq; corporis vnus esset, ab eo vt perficeretur, impetrauit, hoc modo quemadmodum in tertio Esdræ libro scriptũ est. Darius cũm epulum magistratibus omnibus Mediæ ac Persidis, alijsq; quos ditionis suę prouinciis prefecerat, dedisset; illis abeũtibus, se quieti, vt fit, tradiderat. Tres autem adolescentes, in his Zorobabel, quibus corpus suum custodiendum commiserat, dormiente domino, inter se egerunt,

vt ſuum quiſq; verbum argutum, & ſapiẽs proponeret, ac cuius dictum ſapientia præſtare conſtaret, is magna munera à Dario acciperet, magniſq́; honorib' afficeretur. Re inter eos acta, dicta ſua ſcribunt & obſignant, poſt puluinũ dormientis ponunt; vt cùm rex ſurrexiſſet, ei traderẽt. Primus hoc ſcripſit, Forte eſt vinum: Alter, Rex eſt fortior: Zorobabel, Fortiores ſunt mulieres: ſed omnia vincit veritas. Surgenti ſuum quiſq; dictum & ſententiam offert: cùm legiſſet, conuocat magiſtratus omnes atq; præfectos prouinciarum. Ijs præſentibus recitantur: adoleſcentes accerſiri placet, qui cauſam ſuam agant, ſententiamq́; explicent. Cùm veniſſent, primus vini fortitudinem in eo præſtare dicit, quòd mentẽ captet ac decipiat: facit & vt regis ac pupilli, ſerui & liberi, diuitis atque pauperis vnus ſenſus ſit, vna mens & voluntas: mentes omniũ à cura liberet, atq; hilaritatem traducat, ſic vt nemo triſtitiæ, nemo æris alieni meminerit: diuitijſq́; ita animum expleat, vt nec regis, nec magiſtratus rationẽ ducat vllam: talentaq́; ſint omnia quę quiſque dicit: omneſq́; cùm poti ſunt, nec amicitiæ, nec fraternitatis meminerint, ſed

gladios sumant:cum vinum edormierũt, non veniat eis in mentem, quid egerint. Ex quibus cõcludebat, Vinum rebus omnibus esse anteponendum. Alter ita exorsus est. Cum hominum tantam potentiam videamus, vt terram & mare obtineãt, perspicuum est, regem antecellere, qui in eos ita imperiũ habeat, dominatúq; suo illos cohibeat, vt quicquid præcipiat, dicto sint audientes, siue bellum inferẽdum sit, siue montes, muri, arces deijciendæ, siue homines iugulandi. Nec ij solùm qui militant sed etiam agricolæ. Tertio loco Zorobabel mulieres, & vino & regi præstare hinc perspici dixit, quòd mulieres regem pepererint, omnemq; populũ, qui terra mariq; imperet: eos educauerint, qui vites seuerint, vnde vinũ nascatur: hominibus gloriam pariant, nec ab eis abesse disiungiq; possint: homo relinquat parẽtes, patriam, omnia quę charissima ducit, & cum muliere coniungatur: cum muliere animum voluntatemq; committat, sic vt nec parentes ei in mentem veniant, nec patria. Atq; his quidem atq; alijs multis quæ lõgum esset enumerare, mulierum præstantiam docebat. Veritatem autẽ his omnibus pręstare,

hinc intelligi dicebat,quòd eam vniuersus orbis inuocet,ipsum etiã cœlũ prædicet, omnia quæ facta sunt,extimescant:quòd cùm vinũ vitiosum sit, vitiosa mulier, improbꝰ rex,improbi omnes homines, sola vitiosa nõ sit veritas:quòd cũ illa omnia interitura sint,veritas sola maneat stabilis,cõfirmeturq́; semper,viuat,& vigeat:quòd nullius personæ rationẽ habeat, aut excellentiæ, sed pro sua cuiq; tribuat dignitate: quod deniq; iudiciũ eius non sit iniquũ, sed fortitudo,regnũ, potestas & maiestas omniũ seculorũ.Cùm perorasset,omnes magnam veritatem magno clamore esse dixerunt, eamq́; vincere. Itaq; rex potestatem ei fecit petendi, si quid amplius vellet, quàm quæ scripta essent, quod ei daturus esset, pro sapientia quã cæteris præstitisset.Ipse regem tantùm rogauit, vt meminisset voti,quod eo die,quo regnum accepisset,nũcupasset,se templũ Hierosolymitanum ædificaturum esse. Surgens rex,eum osculatus est, epistolamq́; ei dedit ad præfectos omnes,vt eum deducerent,omnesque qui cum illo Hierosolyma proficiscerentur. Scripsit prætereà epistolas præfectis, qui erãt in Syria &Phœnice,&Libano,vt ligna

cedri-

cedrina à Libano Hierosolyma ad templi ædificium comportanda curarẽt, eosq; in opere iuuarent quoad perfectum esset. De Iudæorum etiam immunitate scripsit, & vt ad templi ædificationem viginti talenta quotannis dum absolutum esset, darentur. Acceptis epistolis cũ Babylonem hęc nuntiatum suis, id est, Iudęis, veniens, Hierosolyma versus oculos conuertisset, regi cœli egit gratias, acceptamq; victoriã tulit, se seruum illius profitens, cui sapientiam dedisset. Iudæi accepto nuntio liberæ ædificationis, cum tãtis beneficijs magna lætitia affecti, gratias Deo septẽ diebus egerunt. Quibus transactis, Zorobabel vnà cùm ingẽti suorum multitudine Hierosolyma profectus, intermissũ opus tanta diligentia curauit, vt quarto anno sit absolutum.

ANANIAE, AZARIAE, ET Misaëlis Vita.


NAbuchodonosor Rex Babylonis, quem historici Cambysem nominant, captis Hierolymis cum captiuos Babylonem Iudæos duci iussisset, Asphenez præfecto

Spadonum mandatum dederat, vt pueros forma præſtanti, præditos ſapiētia, boniſque artibus eruditos regij generis, ad ſe diſciplinæ linguæq; Chaldaicæ diſcēdæ cauſa introduceret. Aſphenez delectos in his Ananiam, Azariam, Miſaëlemq́; produxit, quibus rex quotidie annonā ex cibis ſuis ac vino conſtituit, vt tribus annis ita educati, ipſi præſtò eſſent. Hi Danielis conſilio, qui quartus erat, vſi, à cibis regis ſe abſtinere decreuerant. Itaq; Daniel de illorū ſententia cum Aſphenez egit vt legumina & aquam ipſis tantum præberet: quod cū primū ſe rectè, ac ſine periculo facere poſſe negaret: deinde conceſsit, roganti Danieli, vt decem diebus, num macilentiores cæteris regijs pueris fierent, periculum faceret. Decimo die cum eos pleniores alijs inueniſſet deinceps eos inſtituto ſuo ęquiore animo permiſit viuere. Ex quo intelligi poteſt, & Dei in illos cum miraculo coniuncta benignitas, & eorum in tali vitæ ac victus genere perſeuerātia. Nec verò eis parſimoniæ munus eiuſmodi tantum conceſsit Deus, ſed prætereà omnium diſciplinarū ſcientiā & ſapientiā. Itaq; biēnio pòſt cùm in regis conſpectū, quemadmodū cō-

ſtituerat,

ſtituerat,producti fuiſſent, eorum cũ ſumma admiratione ſapientiam tantam,quanta in alijs non eſſet,eſse expertus eſt,omnibuſq́; ſapientibus & ariolis eorum diuinãdi artem anteposuit. Quàm autẽ Deo chari eſſent,eiuſq́; religionis magnæ vindices & cultores,hinc perſpici licet. Nabuchodonoſor enim ſtatuam aureã cubitorũ ſexaginta altitudine, latitudine ſex in campo Duza prouinciæ Babylonis à ſe factam ſtatuerat. Eius ad dedicationem omnes imperij ſui magiſtratus & præfectos,omnemq́ue populum in certum diem cùm conuocaſset, præconis voce edixit omnibus, vt audito tubæ aliorumq́; inſtrumentorum muſicorum ſonitu, cadentes in terram ſtatuam venerarentur: quòd ſi quis veneratus non eſſet, eodem puncto temporis in fornacem ardentem conijceretur. Atque edictum illud omnium qui aderant, cõſequuta eſt veneratio. Eo ipſe tempore tres hi nec adfuerunt, nec ſtatuę tribuerunt diuinos honores. Itaq; Chaldæi quidam illos apud Regem, vt contemptores edicti regij, Deorumq́; eius accuſauerunt. Rex quamprimùm accerſiri iubet: cum veniſſent,rogare primùm eos cœpit,ſtatuamne

adoraſſent. Si nõ adoraſsẽt,quamprimùm eam audito ſonitu venerarentur. Sin minùs,ſcirent ſe cõtinuò cõijciendos in fornacẽ.Deinde ecquis Deus eos ex ſua manu eripere poſſet. Ipſi hoc regi reſponderũt, nullum ſe verbũ de ea re facere oportere, cùm ipſos Deus ſuus, quem colerent poſſet à fornace ardenti eiuſq́; poteſtate liberare. Quòd ſi nollet, tamen hoc ipſe ſibi perſuaderet, ipſos deos illius nõ eſſe venerataros,neq; adoraturos ſtatuam quã ipſe ſtatuiſſet. Rex reſponſo eorum penè ad inſaniam adactus,in fornace ignem decuplo maiorem ſolito excitari,&in eam Ananiã, Miſaelem,Azariamq́; vinctis pedib9, cum braccis,tiaris &veſtibus conijci iuſsit. Mirum eſt quod dicam.Cũ flamma ignis fornacem quadraginta nouem cubitis ſuperaret, eoſq́; qui hos ſanctos viros in ignem coniecisſent,quàm primùm vis ignis confecisſet, tamen ipſi ſalui & incolumes atq; integri in fornace ambulabant : Azariaſq́; in medijs flammis ſtans,Deum vt ſibi ac ſocijs auxilium ferret,vt cùm liberati eſſent, eum Dominũ Deum ſolũ ij qui ipſis mala darent,eſſe intelligerent. Vix finem precãdi fecerat,cũ angelus Dei deſcendẽs à for-

nace

nace flammã excufsit atq; fugauit, mediáque fornacẽ tam lenem & amœnam quàm eſt ventus roris,reddidit,cùm flãma erumpens eos omnes qui circũſtabant, cõſumeret. Tum hi tres vno ore ijſdemq́; verbis Deo gratias egerunt, omniaq́;, quæ à Deo cõdita ſunt,ſingillatim ac generatim, vt ei laudem tribuerent,hortati ſunt.Nabuchodonoſor cum hæc eminus conſyderaret, obſtupuit:ſurgenſq́; proptereà,optimates ſuos interrogauit, an non tres tantùm in fornacem vincti coniecti eſſent: cum tres reſpondiſsẽt, tũ ſe quatuor viros ſolutos, & ambulãtes in medio igne dixit cernere, quorũ quartus filio Dei ſimilis eſſet, accedenſq́; ad fornacis ignis ardentis oſtium, tres illos euocauit,egreſsiq́; ſunt ſalui &incolumes,cum maxima omniũ admiratiõe, quòd vim nullam ignis in eorũ corpora, capillos,veſteſq́; habuiſſet, neque odor ignis in eis reſediſſet. Tantã omniũ admirationem hæc regis vox Deũ laudantis cõſecuta eſt:Benedictus Deus eorum, qui miſit angelum ſuũ,& ſeruos ſuos,qui ipſi credunt,liberauit:tradiderunṫq́; corpora ſua ne colerent adorarentq́; Deum alium,niſi Deum ſuum. Hinc edictum fecit, ſi quis

populus, tribus, lingua in Deum illorum maledicta iecisset, disperiret eiusque domus euerteretur, quòd nullum esse Deu diceret, qui ita posset suos liberare. Postremò eos ad honores in regno Babylonis euexit.

MATHATHIAE SACERDOTIS Vita.


Athathias Ioannis filius, sacerdos quinq; filios habuit, Ioannem Gaddis, Simonem Thasi, Iudam Machabæum, Eleazarũ Abaron, & Ionatham Apphum. Is, cùm Antiochus Antiochi, qui Romæ obses fuit, filius, Hierosolymis templũ Dei violasset, statuto in ara simulachro, arisq; in Iudæa positis, in quibus Gentium ritu Iudæi metu coacti, sacra faciebant & immolabant, ex vrbe cum filijs in oppidum Modin nomine, vitandæ tam nefariæ rei causa migrauit. Eò simulatq; venisset, tam flagitiosi sceleris recordatione, cùm miserum se esse diceret, cuius temporibus hęc mala incidissent, cilicijs atq; saccis vnà cum filijs amictus casum & vicem religiõis dolebat. Antiochus negotiũ multis dederat, vt omnes sacra facere dijs, & à sua lege discedere co-

re cogerent. Cum in vrbem Modin nonnulli eorum venientes, edictũ regis exposuiſsent, cui morte propoſita parendum eſſet, multi quidem Iſraelis filiorum, ea quæ edictum loquebatur, approbabant atque faciebant: Mathathias autem cum liberis conſtanter in ijs, quæ Dei religio ferebat, permanebat. In quo magnum poſteris ad imitandum documentum dedit. Nã cùm ad eum venientes Antiochi legati, ex poſuiſsent edictum, cui ſi obtemperaret ipſe, qui princeps eſſet eius ciuitatis, quẽadmodum Gentes ei parerent, magnis honoribus cũ filijs à rege augeretur, habereturq́; in illius amicis: reſpondit magna voce, ſi vniuerſæ Gentes Antiocho regi obedirẽt, repudiatis ſuis ac maiorum legibus & inſtitutis, ſe tamẽ ac filios & fratres ſuos legi maiorum ſuorum eſſe obtemperaturos. Neq; enim ſibi atq; illis expedire, violatis legis Dei præceptis, alia via incedere. Quo etiam tempore magnum ſuũ in Deũ eiuſq́; legem ſtudium, daclarauit. Cùm em̃ finem dicendi feciſset, ac Iudæus quidam in conſpectu omnium in ara ſimulachris ſacrum faceret, magnũ ex eo animo cepit dolorem, ſummoq́; legis ſtudio ductus, di

ſtricto gladio & eum qui ſacrum faciebat, & eum qui ab Antiocho miſſus fuerat, Phinees imitatiõe interemit, aramq́; funditus euertit: voceq́; dixit maxima, Quos ſtudiũ legis tangeret, ij ſe ſequerentur. Ita relictis omnibus, quæ in oppido habebat, fugit in montes eiuſq́; filij. Quod cùm reſciuiſsent ij, qui Hieroſolymis Antiochi mãdatum curabant, eductoq́; eò exercitu in alios, qui etiam fugerant, incidiſsent, neq; illi diei ſabbati ſacrũ facere, defendereq́; ſe in prælio, quòd nefas eſſe ducerent, vellent, mallentque mori, atq; ita vniuerſi deleti eſsent: Mathathias primùm eorum interitum acerbè tulit: deinde communicata re cum amicis, ſtatuit de omnium ſententia, ſi hoſtes die ſabbati prẹliũ inire cogerent, eſſe pugnandum. In hoc ſuſcepto cõſilio cùm eſſent, Iudẹi multi legis ſtudioſi, qui mala vitabant, cum eo coniuncti ſunt, exercituque ex ſe comparato omnes, quacunq; iter faciebãt, ſceleſtos homines partim interfecerũt, partim aliò migrare coegerunt. Tum verò Mathathias cum amicis aras deorum diruit, pueris qui circuncisi non erant, ex lege præputium amputauit, Atq; hæc in vita, quandiu potuit, perfecit

fecit omnia. Appropinquante autẽ morte, cũ intelligeret sibi hinc breui esse discedendum, cõuocauit liberos, eosq; ad legis studium, & patientiam, vt gloriam sempiternam consequerentur, omnium, qui superioribus temporibus earum virtutum laude excelluerunt, exemplo hortatus est. Simonem pro se reliquit, cuius consilijs niterentur: Iudam, quo in bello duce vterentur. Centesimo autem & quadragesimo sexto ætatis anno mortuus est.

IVDAE MACHABAEI, MATHATHIAE FILII, Vita.


IVdæ Machabæi Mathathiæ sacerdotis filij res scribo, quas pro patrijs legibus, quæ Dei sunt, in bello gessit & plurimas, & clarissimas, & plenissimas admirationis. Bellum primum, quod quidem admiratione dignum sit, gessit cum Serone exercitus Syriæ imperatore. Is cùm ingentibus contractis copijs, cô in Iudam infestum exercitũ eduxisset, vt illo victo cũ suis magnã sibi gloriã pareret, paucíq; milites multitudine conspecta perterriti, ex Iuda quærerẽt, quî fieri posset, vt cũ tãta multitu-

multitudine pugnarent: ipse in Deo spem omnem victoriæ ponendam esse respondit, cui non difficilius sit paucis, quá multis liberare, propterea quòd non in multitudine militum, sed in fortitudine, quę ab eo è cœlo mittitur, posita sit victoria. Hostes quidem infestos in se atq; ipsos venire, cum multitudine & arrogantia, quòd se omnes cum vxoribus ac liberis deleturos esse confidant: sed Deum qui ab ipsis, qui pro suis legibus dimicarét, staret, illos omnes deleturum esse. Itaq; bono animo essent, neq; timerent. Cùm finem dicendi fecisset, in hostes impetum fecit, fuditq́; & fugauit Seonem cũ exercitu, fugatos persequutus est: quos cũ assecutus esset, octingentos interfecit, cæteri fuga sibi salutem quæsierunt. Hęc tam clara admirationisq́; plena victoria Iudę apud omnes nationes maximá gloriam peperit, apud Antiochũ inuidiam & odium, cùm acerbè ferret, indignumq́; censeret, se tam potentem regé à tam paucis vinci, atq; superari. Itaq; comparato ex omni imperio suo exercitu, cui annuũ stipendium, quò alacriores paratiores q́; omnes essent, numerauit: Lysiæ regij generis homini dimidiam partem dedit,
cuius

cuius quantum necesse esse videret, cùm alias in regiones, tùm in Iudæam eius delendæ causa mitteret: Gorgias Ptolemæű Dorymenis filium,& Nicanorem,ac Gorgiam viros,qui in regis amicis erant potẽtissimi,delectos cum quadraginta peditũ, equitum septem millibus eò misit. Eorũ aduẽtus simul atq; Iudas factus est certior, suos non tam ijs armis instruxit, verbisq; hortatꝰ est,quibus suos homines solent,q̃ diuinis,quę certã victoriã pollicẽtur.Nam cùm eos cõuocasset,ostendit illis primùm hostium eò furorem spectare, vt Gentem Iudæorum sanctaq; omnia delerent. Dein de quòd ipsi per se tot armatorum millibus obsistere non pósent, à Deo cuius in potestate sit bellum & victoria,petendum esse auxilium, precibus,ieiunio,animi abiectione. Quod cùm eis persuasisset,ieiunium eo die seruauerunt, cilicijsq; amicti & capitibus cinerem aspergentes,adhibitis Nazaræis Deũ cõprecati sunt, vt sibi auxilium ferret, qui tantæ multitudini non pośet resistere. His ita gestis, Iudas quasi melioris spei ac fiduciæ plenus, duces,tribunos,cẽturiones,aliosq; delegit,omnesque vt parati essent pugnare fortiter cum hosti-

hostibus,qui patriam, patriaq; instituta & sacra delere statuissent, hortatus est. Quæ mala ne ipsi viderent,prçstare mortem oppetere dicebat.Ne timerent illorum multitudinem , aut impetum reformidarent, sed recordarētur in animis suis, quēadmodū maiores sui in mari rubro,eos Pharaone cū maximo exercitu persequente,esset liberati. Itaq; è cœlo auxilium à Deo cum clamore peterēt , qui eorum misereretur, fœderisq́; quod cum maioribus fecisset,recordatione, exercitum quem viderent eo die deleturus esset, vt intelligerēt Gentes esse,qui Israëlem liberet. Cum Iuda erant tantum tria millia hominum , qui relictis castris in patentes campos descenderant. Gorgias autem cùm in castra eorum noctu suos id est, quinque millia peditum & mille equites delectos duxisset , eos fugisse in montes ratus eò contendit.Manè, cùm in campo apparuissent, signo pugnæ dato congressi sunt , fusiq́; illi se in campum receperunt. At Iudas fugientes persequutus,cùm nouissimos assecutus esset, tria millia deleuit. Cùm suos aliquandiu continuisset, posteà ad spolia in castra eos duxit, quibus potiti multis & amplis, mi-

ſericordiam benignitatemq́; Dei magnis laudibus extulerũt. Anno vertente Lyſias peditum ſexaginta millia, equitũ quinq; cōparauit, quibus Iudas decem tantũ millia oppoſuit. Numerus hoſtium quoniam multo maior erat, rurſus à Deo opem implorauit, pro ipſius in maiores in ſimili re benignitate. Neq; fruſtrà ſe imploraſſe ſenſit. Nam cùm tot eſsent hoſtes, cōſertis manibus, quinq; millia ceciderunt, cæteri fugati. Lyſias qui ſuorũ fugam cōſyderaret, Iudęorumq́; audaciam eiuſmodi, vt mori fortiter vel vincere in eodẽ ponerent: Antiochiã ſibi eũdem nouorum militum deligendorũ cauſa cenſuit. Quod cùm Iudas reſciuiſſet, ſuos monuit, vt quoniam fuſi victiq́; erant hoſtes, Hieroſolyma expiatũ res ſacras, quæ à Gentibus violatæ cōtaminatæq́ue eſſent, proficiſcerentur. Eò cùm veniſſent, omniaq́; violata contemplarentur, dolorem quem ex eo magnum animis caperent, extrà lachrymis, clamore, cineris aſperſione, corporum in terram abiectione teſtati ſunt. Iudas autem qui vereretur, ne in expiationis officio occupatos armati, qui in arce Sion erant, opprimerent, præſidium diſponit. Cùm omnia in

omnia in templo ad priſtinam religiõem ſanctitatemq; reuocata eſſent, dedicationis aræ dies feſtus ſacris ex lege perficiendis ſummo cum omnium gaudio actus & celebratus eſt: diemq; feſtum anniuerſariũ eius rei memoriæ cauſa quotannis eodem die, id eſt, ſeptimo Calendas Decembris, per octo dies agendũ celebrandumque Iudas de fratrum ſuorũ ſententia ſtatuit. Hæc cùm Barbaris, id eſt Gentibus eſsent nũtiata, Galaditanos & Galilæos delere ſtatuebant, cùm ab illis duobus populis, eodem penè pũcto temporis ad Iudam legati petitum auxilium venerũt. Iudas re cum fratribus cõmunicata, ferendum eis auxilium ita de illorum ſententia cenſuit, vt Simon cum tribus millibus in Galilæã, ipſe & Ionathas frater cũ octo millibus Galaad proficiſceretur. Iudas & Ionathas cùm Iordane traiecto multos ex fratribus captos, ductoſq; in certa oppida Galatidis munitiſsima accepiſsent, eò contenderũt, primumq; Boſor ceperunt: deinde cætera, interfecerũt mares omnes: ſpolijſq; opimis referti redibant, cùm Timotheum ducem hoſtium, qui paulò antè cæſis octo ex ſuis millibus euaſerat, comparato nouo exer-
citu,

citu, castra locasse trans torrentem ad Raphon audiunt. Infestum ergo exercitum in eos ducentes, alios interemerunt, alios fuderunt ac fugarunt: fugatos cum in fanum Carnaimanum confugissent, vrbe capta, & fanum subdito igne exusserunt, & eos qui in illud confugerant. Antiocho rege mortuo, interfectoq; eius filio Antiocho Eupatore cum Lysia à Demetrij exercitu, cùm ad ipsum Demetrium impij quidam homines Iudæi, & Alcimus dux eorum, questum iniurias, quas sibi à Iuda inferri dicerent, venissent, eorumq; rogatu rex Bacchidem, cuius in fide & amicitia multum ponebat, & Alcimum ipsum cui quasi sceleris prꝑmium sacerdotium mandauerat, cum ingenti exercitu in Iudæam, vt iniurias vlcisceretur, misisset: Alcimus, qui se ac suos Iudæ impares animaduerteret, tandem aliquando ad Demetrium redire coactus est, Iudæq; ac illius socijs apud eum multa crimina obiecit. Rex credulus Nicanorem quendam quo multum vtebatur, & qui cum Iudæis inimicitias gerebat, cum magno exercitu delendi populi causa misit. Is Hierosolyma ingressus ad Iudam & fratres eius misit, qui diceret,

ipſum ad eos cum paucis verbo quidẽ de pace eſſe venturum,ſed reuerà de illis cõprehendẽdis cogitabat. Iudas qui eius nefarij conſilij ignarus eſſet, illi ſignificauit, licere venire quãdo vellet. Venit Nicanor: inter inter ſe conſalutarunt,paratis qui Iudã caperent. Iudas cognitis inſidijs, illum iam videre noluit,ex quo facilè intellexit Nicanor, Iudæ patefactum eſſe conſilium ſuũ. Cùm ex inſidijs ac dolo ſe eũ vincere poſſe diffideret,palàm & apertè,id eſt, belli artibus inuadendũ eſſe decreuit. Eduxit ergo in eũ infeſtũ exercitũ, ſed cùm manꝰ conſeruiſsent, quinq; millia ſuorum amiſit, ipſe cũ cæteris Hieroſolyma in arcem Sion ex fuga ſe recepit. Ad eum ſacerdotes quidã venerant, vt illi ea monſtrarent quæ pro rege offerebãtur:ſed eos irriſit & cõtempſit,multaq́; arrogãtiæ plena loquutus eſt,ac iurauit, niſi Iudã eiuſq́; exercitũ ſibi traderet,cũ redijſſet, ſe incenſurũ eſſe templũ. Erant tantùm Iudæ tria millia. Itaque cùm Nicanoris exercitum videret, ad notum ſibi pręſidium,id eſt,ad Deum confugit. Rogabat eum, vt qui Sennacherib regis cõuicia & maledicta grauia in ipſum iacientis centũ & octoginta quinq; millia

dele-

delcuiſſet, ipſe illo die Nicanoris copias de leret, vt cæteri eum impiè loquutum eſſe intelligerent. Cum hac oratiõe plenus ala critatis & fiduciæ ſe dat in præliũ: atrox & cruenta pugna cõmittitur, ac primus omnium Nicanor Dei contẽptor interficitur: quod cùm exercitus cognouiſsit, fugit. Iu das autẽ eũ perſequutus cũ ſuis tãtam ſtragem fecit, vt ne vnus quidẽ pugnæ ſuperfuerit, qui ſuis cladẽ nuntiaret. In ſecũdo Machabæorũ libro, quo etiam hæc pugna paulò ſecus ac pluribus narratur, ſcriptum eſt, Iudã cum ſomniũ fide dignũ, quod no cte viderat, ſuis expoſuiſset, multò alacriores paratioreſq; ad pugnandũ reddidiſſe. Dicebat ſibi per quietẽ viſum eſſe primò Oniã, qui paulò antè pontifex fuiſſet, virũ bonum & benignũ, qui tendens in cœlum manus pro cuncto Iudæorũ populo rogaret: deinde alterum ætate & gloria mirabili, propter eum ſtantem, de quo hæc ipſe, id eſt Onias, dixiſſet: Hic eſt fratrum amator & populi Iſraël: hic eſt qui multũ orat pro populo & vniuerſa ſancta ciuitate, Hieremias Dei propheta. Quibus ex verbis hæc duo intelligere debem⁹, & ſpirit⁹ pòſt mortẽ redire, & ſanctos qui nũc cum Deo

 viuant

viuāt in cœlo, orare pro viuis, cùm Onias & Hieremias,qui mortui cœli gloriam nō dum adepti erant,pro Iudæis Deum rogauerint. Eodem etiam in libro eiuſmodi à Iuda exemplum proditum ſcriptum eſt; ex quo ſacrificia, quæ à viuis pro mortuis Deo offerātur, eis prodeſſe intelligi licet. Scriptum eſt enim,cùm nonnulli Iudęi cō tra leges ex donarijs ſimulacrhorum aliquid cepiſsent,& in pugna,quæ cum Gorgia aut Timotheo commiſſa eſt, interfecti, ſacram prædam habere inuenti eſſent, Iudā, qui illos ſcelus admiſiſſe ac ſupplicij cauſa omniūm conſenſu intereptos eſſe iu dicaret; drachmarum argenti duodecim millia,quæ omnes cōtuliſsent,miſiſſe Hierosolyma, vt ex ijs pro peccatis mortuorū Deo offerretur ſacrificium, cùm Iudæi qui aderant omnes Deum in commune vt eis ignoſceret,rogauiſsent. Sed vt ad propoſitum reuertamur, Iudas dux clariſsimus, qui tam grauia bella geſſerat, toties de Dei patriæq; hoſtibus triumphum egerat, tam multos cum paucis fuderat & fugauerat,fuſos fugatosq; interfecerat & vicerat,deſertus à ſuis in bello,fortiter pugnans occiſus eſt. Nam cùm Demetrius rex

acce-

accepto Nicanoris atque exercitus mortis nuntio, Bacchidem & Alcimum cum dextro cornu in supplemẽtum misisset, Iudas qui ad Laisam castra locauerat, cùm ex tribus millibus, quæ sola habebat, duo millia & ducenti hostium multitudine perterriti, (erant autem viginti millia) dicessissent, tum cùm bellum perurgeret, acerbè ille quidem & molestè se in eas difficultates deductum esse tulit: sed tamẽ ipse qui nunquam fugisset, sibiq; ob oculos tã claras victorias poneret, reliquis fugiendum esse comparandi exercitus causa suadentibus, ac tum demum pugnandum sine periculo, non credidit, potiusque eis persuasit moriendum esse fortiter in bello pro fratribus, quàm turpiter fugiendo, gloriam, quam maximam peperissent, obscurandã. Itaq; signo pugnæ dato, cum vtraq; ex parte magnus clamor sublatus esset, manus cõferendas, quoniam necesse erat, cẽsuit. Atrox diuturnaq; pugna à prima luce ad vesperum fuit. Iudas autem cùm dextrum cornu, cui Bacchides præerat, firmius fortiusq; esse animaduerteret, eò cum ijs omnibus qui firmo stabiliq; animo erãt contendit, tanto impetu, vt illos omnes cùm

eum sustinere non potuissent, fuderit ac fugarit. Fugatos verò cùm persequeretur, ij qui sinistrum latus tenebãt, eos sequuti sunt: tumq; redintegrato prælio, vtraq; ex patre multi ceciderunt, in his Iudas, vir fortissimo cuiq; duci aut anteponendus, aut certè æquandus. Eum Iudæi vt liberatorem diu multumq; luxerunt.

ONIAE PONTIFICIS Vita.


Nias Hierosolymorũ pontifex, quo patre aut matre natus sit, non inuenio. Fuit autem magnis virtutibus præditus, nõ solùm suorum, sed etiam hostium religionis Iudæorum testimonio. Eo pontifice, Seleuco Asiæ rege leges illius diligentia seruabantur, sic vt reges donaria Hierosolyma in templum mitterent. Omnium autem malorum, quæ postea vrbem oppresserunt & plurima & grauissima tùm priuatim, tum publicè, Simon quidam tribus Beniamin, causa & quasi seminarium fuit. Nam cùm templi esset ædituus, neque posset Onia pontifice ad illud, quod nefariè cogitabat, peruenire, quò faciliùs quod vo-

lebat


lebat cõſequeretur, ad Appolonium, quẽ Seleucus Cœleſyriæ Phœniciq́; præfecerat, veniens, ei expoſuit, ingentẽ vim pecuniæ eſſe in templo: quæ quoniam ad ſacrificia non pertineret, à Rege rectè ſumi accipiq́; poſſet. Rex cùm tam opimæ prædæ factus eſſet ab Apollonio certior, Heliodorum quendã miſit, qui eam pecuniã acciperet. Heliodorꝰ cùm veniſſet conſtituto die, eius pecuniæ rapiẽdæ cauſa in templũ venturus erat, cùm ſacerdotes omnes habitu ſacerdotali ante aram in terram ſe proiecerunt, rogãtes Deũ, vt tam indignũ facinus impediret: in primiſq́; Onias pontifex vultu animi dolorẽ omnibus indicabat. Nec ſoli ſacerdotes in gemitu & mœrore erãt, ſed omnium ætatum atq; ordinum viri & mulieres lamentatiõibus, querelis, lachrymis, precibus declarabãt animi dolorem, quem ex ſacræ pecuniæ direptione imminente perciperent. In tanto gemitu ciuitatis, cũ Heliodorus ſatellitibus ſtipatus, in templũ ingreſsus ad ærarium ſe cõferret, ſubitò equus ei viſus eſt, in quo quidam horribili ſpecie ſedebat: equús primùm Heliodorũ, quẽ duo adoleſcentes antecedebant, prioribus calcibus petiuit: deinde

adolescentes eum circunstantes, flagris ita cædere cœperunt, vt repentè in terram ceciderit, ex qua eum magna caligine obductum rapientes in sella gestatoria positum eiecerunt. Iacebat autem extra templum mutus, neq; ei vlla spes reliqua erat salutis, cùm quidam eius amicorũ Oniam pontificem rogarũt, vt pro illius salute Deum suum rogaret, Onias cum pro eius salute illorum precibus adductus sacrificium obtulisset, statim duo illi adolescẽtes Heliodorum monuerunt, vt & Oniæ, cuius causa Dominus ei vitam daret, gratias ageret, & omnibus magna Dei opera numenq́ue nũtiaret. Heliodorus Deo atq; Oniæ actis gratijs magnis itineribus ad regem se recepit, eiq́; ac cęteris rem, vt gesta erat, ordine narrauit. Quærenti verò regi, quemnam eius loco rectè Hierosolyma missurus esset, respõdit, si quem haberet hostem, aut qui regnum affectaret, eum illi esse mittẽdum, quòd eum flagris cæsum esset recepturus, si modò cuaderet, propterea quòd illic verè Dei numen esset. Simon patrię & pecuniæ proditor, is quẽ paulo antè dixi, illius mali auctorem Oniam proferebat. Cùm autem eò res partiũ studio deducta

eſſet, vt quidam Simonis neceſſarij cædes facerẽt, Onias qui ne diſceptationis & inimicitiarum malum latius ſerperet, verere tur, neq; videret pacis in vrbe ſpem vllam oſtendi, regis auctoritate non interpoſita, ad eum ſibi abeundum cenſuerat: ſed Seleuci morte, quæ paulò pòſt interuenit, eius conſilium impeditum eſt. Ei cùm in locum Antiochus is qui, Epiphanes dictus eſt, ſucceſsiſſet, Iaſon Oniæ frater pótificatus honorẽ pecunia adeptus, omnia Gentium inſtituta & ſacra cum ſummo omniũ gemitu Hieroſolyma inuexit. Quem magiſtratum cum triennium geſsiſſet, Menelaus Simonis frater, cui pecunias ad regem perferendas dederat, additis ad eam ſummam, quam Iaſon pẽdebat, trecentis argẽti talentis, eum adeptus eſt, ac paulò pòſt Iaſon, qui Oniam fratrem fraudauerat, abdicato magiſtratu, exilio ſceleris pœnas luit. Menelaus autem cùm ex templo vaſa quædam aurea rapta Andronico Antiochi legato donaſſet, aliaq; multis in ciuitatibus vendidiſſet, ea re comperta Onias illũ obiurgauerat, quod ille tam grauiter accepit, vt Andronicum ipſum, vt illum interficeret, rogauerit. Oniam Andronicus ex

insidijs & dolo, cùm ad eũ amicè venire se simularet, interemit. Antiochus autẽ cum rediisset, lachrimas, audita Oniæ, sancti clariq; viri tã indigna morte profudit: ac primo quoq; die Andronicum, purpura posita, per vrbem ignominiæ causa ductũ, eodem loco, quo Oniam occiderat, interfici iussit. Mortuus Onias Iudæ Machabæo, queadmodũ in eius vita diximus, per quietem visus est, cum Hieremia propheta, pro populo Deum rogare: quod argumentum est, eius ad sedes sanctorum patris migrationis.

ELEAZARI SCRIBAE Vita.



Leazarus ab ineunte ætate rectam viuendi viam sequutus, legi Dei patrijsq; institutis semper vsque ad summam senectutem paruit, nec vnquam vlla in re etiam minima ab eis voluit discedere. Id quod ex re vna, quæ exempli causa literarum monumentis prodita est, facilè intelligi potest. Antiochus is, qui Epiphanes, id est illustris tantùm nomine, non etiam rebus dictus est, cum Hierosolymis vi & armis captis

captis,oppidanisq; intra triduum sine delectu octoginta interfectis,vinctis quadraginta,totidem venditis millibus,ducequе Menelao Hierosolymitano, qui pontifex fuerat in templo, quo nullum vnquã fuerat sanctius & augustius, mille & octingentis talentis direptis, Antiochiam redijsset,misit inde in vrbem Antiochenum senem quendam, qui omni suppliciorum genere, Iudæos à patriis institutis legibusque maiorũ discedere cogeret, violatoq; Dei templo, & inquinato,ei nomen Iouis Olympij imponeret. In hoc tã misero indignoq; statu ciuitatis, cum nonnulli alij, tum Eleazarus fortiter ac constãter mori maluit mille modis, quàm breuis vsuræ vitæ cupiditate,etiam clàm Dei leges & maiorum instituta violare. Nam cùm palam primum & publicè porcinæ carnes ei propositæ essent, quibus vesci,quia per leges nõ licebat,etiam aperto ore nollet, iam ea de causa ad supplicium rapiebatur, cum ij qui aderant eũ remotis arbitris solùm rogare cœperunt pro iure amicitiæ,quæ illis cum eo vetus erat, vt vel clàm ederet, vt à morte liberaretur. Quæ illorũ eiusmodi preces tãtum abest, vt eum à suscepto pro

posi-

positoque consilio abduxerint, vt ipse eis dixerit, indignã esse ętate sua simulationẽ qua & multi adolescẽtes, qui Eleazarũ nonagenarium ad Gentiũ instituta & mores deflexisse putarent, præsertim cùm pauci dies vitę etiam reliqui essent, captarentur, & ipse optimæ senectuti suæ maculam inureret. Si enim præsens hominum supplicium vescendo vitaret, at certè præpotentis rerum omnium Dei numen, nec viuum se, nec mortuum effugere posse. Itaq; si forter moriens ab hac vita migraret, se dignam superiore vita senectutem egisse visum iri: adolescentibus autem exemplum fortitudinis præclarum esse relictum, si pro sanctissimis augustissimisque legibus honesta morte defungeretur. Hac eius tantę fortitudinis indice oratione cõcitati ij, qui illi pro iure amicitiæ hoc consilium, vt vitæ consuleret, dabant, quòd arrogãtiæ plenam esse ducerent, iniquiores multò quàm antea ei se præbuerunt. Ipse qui se ad certã mortẽ innocentẽ rapi videret, cùm r[?] gis interficeretur, ingemuit, Deumq; testem suæ innocẽtiæ appellauit, ad eũ cõuersa oratiõe, qui sciret ipsum cũ à morte liberari posset, tamẽ corpore dura

grauia-

grauiaq; supplicia perferre, quæ propter metum ipsius æquo animo libenterq; toleraret.

SEPTEM FRATRVM MAchabæorum, & matris eorum, vita & mors.


Eptem fratrum Machabęorum morte tam clarum virtutis atq; fortitudinis exemplum posteris Ecclesia proditum esse iudicauit, vt iam inde à primis religionis nostræ temporibus, eorum diem festum quotannis Calendis Sextilibus agendum celebrãdumq́; decreuerit, quod nulli eorum, qui veteri Testamento, quanuis sanctè vixerint, concessum esse cernimus. Ii in lege Dei à puero educati matris diligentia, quã altè in animis suis virtus Deiq́; timor radices egissent, re ipsa in morte declararunt, quam cum omni suppliciorum etiam grauissimorum genere coniunctam perpeti, quàm cum leuissimo peccato violata lege viuere maluerunt. Antiochus rex, qui Epiphanes appellatus est, primùm per suos alios, deinde ipse per se, hos septem fratres porci-

porcinas carnes cõtra leges comedere cogebat: quod cùm se facturos esse constantissimè pernegarent, tũ supplicijs eò illos adducere se posse sperabat. Quod quò facilius perficeret, singillatim eis tormenta & quæstiones adhiberi cẽsuit oportere, vt si primus constanter mortem perferret, cęteri, qui adessent, suppliciorũ grauitate deterriti, edicto obtemperarẽt. Sed longè eũ fefellit opinio. Nã quod ad reliquorũ terrorem valere putauit, id Dei benignitate, eorum virtute matrisq; adhortatione, ad cõstantiam & robur eis profuit. Nam cùm primus comprehensus, quæsiuisset à Rege, quid à se, à matre, à fratribus vellet exquirere aut discere, qui mori ęquo fortiq; animo mallent, quàm violare patrias Dei leges, iratusq; ille quamprimum subditis ignibus sartagines & lebetes feruescere iussisset, in quos ille amputata lingua, & cute capitis detracta, summisq; manibus ac pedibus præcisis ac resectis, cæteris fratribus cum matre spectantibus, iussu eius coniectus est: tantum abest, vt tam atroci indignoq; spectaculo deterriti abductiq; sint à proposito, vt interim se alij alios cohortarentur ad fortiter moriendum his verbis:

Domi-

Dominus Deus veritatis rationẽ habebit, nosq́; consolabitur, quemadmodum Moses in Cantico suo exposuit, Et in seruis suis consolabitur. Mortuo primo, secundũ produxerũt lictores, ex quo cute capitis cũ capillis detracta cùm quærerent, nũ vesci vellet, antè quàm toto corpore discerperetur, seq́; ille facturum negasset, ijsdem supplicijs quibus prior affectus est. In extremo autem spiritu his Regem conuenit, Tu quidem scelestissime, nobis hãc vitam eripis, sed Rex mundi nos, qui pro ipsius legibus interficiamur, in ęternę vitę resurrectione excitabit. Tertius arreptus cùm irrideretur, lingua quã petebant exerta, manibusq́; porrectis, hæc magno animo fiduciæque plenus dixit: Hæc quæ à cœlo habeo, propter Dei leges contemno ac pro nihilo puto, quòd eadem à Deo me recepturũ esse sperem. qua fiduciæ tantæ plena oratione magnã Regi, ijsq́; qui cum eo erãt, animi sui ac fortitudinis excitauit admirationem, quòd pro nihilo cruciatus putaret. Quartus raptus ad mortem cũ pœnis prope exanimatus esset: Præstat, inquit, humana spe relicta, expectare à Deo secundam vitam atq; resurrectionẽ. Tibi enim

enim ſpes nulla reliqua eſt vitę in reſurre-
ctione. Quintus inter ſupplicia, hac vſus-
eſt ad regẽ oratione, Pro poteſtate tu quidem, cùm mortalis ſis, facis quod libet: nolim tamen genus noſtrum deſertum eſſe à Deo putes, ſed mane pauliſper, tumq; magnã Dei vim ſenties, qua & te & genus tuum excruciabit. Sextus appropinquãte iã morte Regẽ monebat, ne temerè erraret. Nam ſe quidem ac fratres iure illa tam grauia ſupplicia perferre, quòd Dei voluntatem offendiſsent: ſe tamen ne putaret impunè laturum eſſę, quòd cum Dęo bellũ gerere conatus eſſet. Septimus erat reliquus, qui idem minimus natu erat omnium. Eum Antiochus qui ſe contemni arbitraretur, metueretque ne nihil tormẽtis ſupplicijſque proficeret, vitio ſibi daretur, non ſolùm verbis hortabatur, ſed etiã iureiurando affirmabat, ſe, ſi patria inſtituta violaret, & opibus aucturum eſſe & beatum effecturum, & habiturum in amicis. Quibus promiſsis cùm illũ nullo modo eò delabi ac deduci poſſe intelligeret, matrem accerſit, atq; vt filij ſaluti cõſulat, hortatur. Promittit mater ſe filio eſſe ſuaſuram. At illa cum propiùs ad filium acceſsiſſet, tyrannũ
irri-

irridens patrio ſermone, ſic cum illo eſt lo quuta: Miſerere mei, fili, quæ te in aluo nouem menſes continui, quæ te lactaui triennio, & educaui paruulum, quæ te denique vſq; ad iſtam ætatem perduxi. Peto à te, fili, vt cœlum & terram contempleris, eaq́; omnia quæ complexu ſuo continent, tibique veniat in mẽtem, à Deo ex nihilo hęc facta eſſe omnia, genuſq́; hominum, cùm non eſſet. Tum enim denique carnificem iſtum contemnes, teq́; & dignũ fratribus tuis pręſtabis morte contempta, & in æterna gloria cum illis recipiam. Nondum mater finem dicendi fecerat, cum ille, Quid, inquit, expectatis? Regis præcepto non pareo, ſed legi, quæ nobis à Moſe data eſt. Tu verò omnis in Hebręos mali inuẽtor, Dei numen nõ effugies. Nam nos quidem etſi hæc pro ſceleribus noſtris ferẽtes, Dei ira caſtigamur, tamen iterum cũ illo in gratiã reducemur. Tu verò ô hominum ſceleratiſsime, noli inani ſpe efferri, quòd ſeruis Dei ſceleſtas manus afferas: nondum præpotentis rerum omnium Deum & omnia cernentis iudicium effugiſti. Nam fratres mei, qui modo breuẽ ſenſum doloris habuerunt, nunc in ęternę vitæ fœdere comprehen-

prehenduntur. Tu verò Dei iudicio, arrogãtiæ tuæ pœnas propediem lues. Ego igitur quemadmodũ etiam fratres mei, pro patrijs legibus me vitamq; meam tormentis mortiq; offero. Rex hac illius oratione ita concitatus est, vt ei se quàm fratribus, quòd se irrisum spretumq; acerbè ferret, iniquiorem acerbioremq; præbuerit. Postrema beata illorum mater liberorũ supplicijs ad mortem paratior & quasi exercitatior facta, morte mulctata est. Iosephus quidem librum de tam clara matris atque liberorum morte scripsit, & Gregorius Nanzanzenus orationem, quibus illi pluribus vniuscuisque in respondendo constantiam explicarunt.

FINIS.


LEGATORIA A.
1972



